PETRI ÆRODII

Judicis Quæſtionum Andiumque Ducis quondam libellorum Magiſtri J. C.

DE

PATRIO JURE

Ad Filium Pſeudo-Jeſuitam Diſſertatio.

Eme, lege, judica non pœnitebit.





ULTRAJECTI,

Apud *Johannem Ribbium*, Bibliop.

M. DC. LXXI.



A D LECTOREM.

Quia jam per triennium quæro filium meum maximum frustraque, id (est enim inter Jesuitas) quod privatim præstitissem, facio publicè. Ago ut cum reo absente ac fugitivo, hoc est, annotatione & programmate. Itaque, si tibi videbitur (ô Lector) me non immeritò expostulare ac conqueri:

eveniatque fortuitò ut obvius sit furtivus ille & seductus adolescens : Fac (quæso) lectitet hunc libellum. Posteà, non recuso, si quid sui juris, arbitriique est, quin mihi pareat, aut non pareat Patri. Andibus, Anno M. D. LXXXIX. *Mense Octobri.*



PETRI ÆRODII

Quæsitoris Andegavi.

DE

PATRIO JURE

Ad Filium Pseudo Jesuitam.



Uid est quod Nazianzenus ille, in oratione apologetica ad populum, plus dicit esse in potestate patris, quæ est à Deo, Opt. Max. quam in ea quæ ab hominibus sive lege, sive moribus inducta est? hoc unum, HONORA PATREM TUUM, ET MATREM TUAM, potentiusne est in

liberos, quam fulmen illud abdicationis, quod Græcorum erat institutum? quam jus illud vitæ & necis: quod, licet abominandum, tamen & nostrum fuit, & multorum olim populorum? quam trinæ illæ emancipationes, totidemque venditiones, quæ fuêre potissimum Romanorum? Si filius non obtemperasset: pater, his legibus, sibi ipse jus dicebat. Idem citabatur accusator, idem testis, idemque judex. Præterea, quæ supplicia habebat in potestate, ea erant hujusmodi, ut sola cogitatione acerbitatis filius deterreretur quicquã audere & velle quo violaretur pietas. Deo contra sufficit jussisse. Officioso præmium promittit: contumaci, nihil irrogat. Atqui lex potentior est, quæ punit, quam quæ jubet duntaxat: & prævalet auctoritas quæ sua est, quave suo jure quis utitur fruitur: quam quæ ita demum justa ac legitima est, si impetrata & accepta. Jam vero quid operabatur summa illa patria potestas, huma-

humana (dico) non divina ? operabatur ut ea quæ privata eſt, publica aliquando major eſſet, ut qua in re officium Magiſtratus debile, ac quaſi mancum videretur eſſe: ibi tanquam provocatione aliqua, auxilio ſubſidioque eſſet domeſtica diſciplina: hoc eſt, plus poſſent in liberos parentes, quam lex, legio ve, aut ipſa ſumma Dictatura. Cn. Martius Coriolanus pergebat infeſto agmine adverſus patriam. Quis illi è manibus ſucceſſit arma, quis faſces, quis imperium, niſi una Veturia? Qui legatis Senatoribus, Magiſtratibus, Sacerdotibuſque non ceſſerat, matri ceſſit: & quem neque majeſtas Imperii, neque religio dimoviſſet, movit appellatio matris. Tribuni Conſulari poteſtate, Cn. Servilius, L. Sergius, M. Papirius contendebant invicem, quis eorum bello adverſus Lavicanos potiſſimum præficeretur. Singuli ſeſe anteponebant: & curam urbis, ut ingratam atque ignobilem, aſpernabantur.

bantur. Patres, cum hoc certamen mirabundi conspicerent, neque Dictator esset qui cogeret Tribunos: Q. Servilius: Quando nec ordinis hujus, nec Reipubl. (inquit) ulla verecundia est: patria Majestas altercationem istam dirimet, Filius meus extra sortem Urbi præerit. Quid pater C. Flaminii, Tribuni plebis? ferebat invito Senatu legem Agrariam: atque intercessioni collegarum non parebat, imo nec exercitu quidem absterrebat adversus se conscripto, si perseveraret in sententia. Pater ei pro rostris legem jam ferenti manum injicit. Quid filius? descendit: & cui nihili fuerat tota Reipubl. majestas, auctoritas, prærogativa: fractus est privato imperio: & ne minimo quidem murmure destitutæ concionis repræhensus est Tribunus, ut lib. V. Valerius scribit. Quomodo itaque fieri posset, quin, quod ad jus patrium plus attinet, plus virium esset in legibus humanis, quam in eo nudo ac simplici præcepto quod à Deo

à Deo olim per Mosem datum & acceptum est?. Si verum est quod Halicarnassæus ait, propterea apud Græcos hæc monstra ordinaria fuisse, Contumaciam, Impietatem, Parricidium: Romæ, rarissima: quia, quam potestatem hi veteres Legislatores, Charondas, Pittacus, Solon parentibus tribuerunt, mollem ac debilem dedissent: quam Romulus contra, liberam, plenam, atque sine exceptione, sic ut toto Romano Imperio vix unus Malleolus sit inventus. quid de hoc mandato dici potest, quod nulla exhæredatio, nulla crux, nulla pœna sanciebat. Jubet duntaxat quod suadet pietas. Nemo his ita putet satisfactum, quod, ut aliis omnibus legibus; ita Mosaicâ, parricidium non solummodo graviter punitur, verum etiam quicquid à filio pronunciatum sit inverecunde. Neque enim hîc tractamus de auctoritate Magistratuum, neque de ea omnino vi & potestate quæ cernitur in

foro, aut in judiciis. De ea agimus quæ potest exerceri domi; quæ inter penates; & quam patres, non patriæ, sed familiæ, suis auspiciis habent in liberos, hoc est, sine ulla provocatione alterius, & nullo judicis officio intercedente. Nam qui ope aliena punit, non punit, sed accusat. Atqui, præter id quod jam Gregorio objecimus, tantum abest, ut oraculo illo cœlesti parẽtes plus juris habeant in suos, quam his aut illis hominum legibus; ut ne vel minimum quidẽ dici possint accepisse. Nam unicum istud, HONORA PATREM: si filius non fecerit, quid tribuit patri? Allicit quidem præmio, hoc est, vitâ beatâ ac diuturnâ: sed, quasi in ea aliquid insit quod Natura abhorreat sponte, patri pœnam non commisit. Erravit itaque Moses: & cum poneret leges à Deo latas, in hac patria negligentior fuit? Nefas est dicere. Nam & priusquam esset, hæc potestas erat, quam quærimus: argumento est, quod Deus non imperasset.

raſſet Abraamo, *filium uti immolaret*: niſi alioqui in eum jus vitæ ac necis habuiſſet. Juſſiſſet Deus? feciſſet pater? tolleraſſent proximi, alienive, quod nullo caſu, nullo tempore, nullo jure licuiſſet patri? Sed & qui Moſem anteceſſerunt, non ita ſoliciti fuiſſent de matrimonio liberorum: id nempe ſui juris, arbitriique eſſet, non contrahentium (hinc enim & diluvium) neque liberi ipſi tam cupidi paternæ benedictionis: quid amplius? ſola denunciatio à patre facta Magiſtratui, vim non habuiſſet plenæ probationis adverſus filium contumacem: niſi jam illo tempore ſumma fuiſſet patria poteſtas, auctoritaſque domeſtica. An Deus igitur poſteriore lege priorem illam antiquaſſet, ſolo verbo dimetiens cultum? Si ita eſſet: quid diceremus pro Nazianzeno? Eſſet procul dudio quid diceretur, niſi homini & Chriſtiano, & Epiſcopo videretur obſiſtere ea ipſa Chriſtiana religio, quam quaſi ab eo tamen accepimus.

Nam paterna auctoritas, si quæ est hodie, sic ab ea descivit, quam sive Deus, sive Natura ipsa, sive jus Gentium, sive leges præscripsere ab initio: & propterea descivit, quia nescio quo pacto pietatem à Religione sejungimus: ut inter Christianos nihil jam plane patrium sit, nisi appellatio sola atque denominatio patris. A re separata est pietas: in verbo hæret: Posset Christiana disciplina, atque ea Divina constitutio quā laudat Gregorius ille, stabilisse domesticam, disciplinam si Christiani eam præcipue labefactent? Veruntamē ante omnia satisfaciamus magno Theologo, postea videbimus an verum sit, nullam potestatem nobis superesse in liberos: aut si sit etiā tantilla, num adhuc sit hujusmodi, ut despici, violariq; tamen non debeat. Certum est, quam atrocitatem Legislatores olim invenere, quo redderent patriam potestatem ampliorem: astute, atque subtiliter invenisse: videlicet, ut ea apposita, vi, aut sponte filii essent offi-

officiosiores: utque ab ea observantia nullo pacto distraherentur, quam, non Lex, non rogatio aliqua, sed natura à lacte hominibus infudisset. Sciebant ita esse libidinosam adolescentiam: ea arrogantia & lascivia: sic regi, domarique difficilem, ut existimaverint necesse esse, terrore reparari ac refici quod à Natura malignitate depravatur: ut, quemadmodum antiquitus laceratione ac Sanguine fidē debitorum conservassent: representatione suppliciorum, quæ versarentur in sola parentum potestate, insinuarent liberis obedientiam evincerentque ne quicquam susciperent, agerent, cum hi prius non annuissent à quibus & vitam & eruditionem habuerunt. Cæterum, id non repugnare pietati. Hanc enim ita esse à Natura: ita à parentibus pro liberis consilium capi, ut tamen certissime crederent nunquam posse evenire quod permisissent: videlicet à patre filium venundari, abdicari, interfici. aut si accideret quandoque:

sic

ſic eo merito, ea conſideratione fore, ut ſi ipſa Juſtitia jus dixiſſet, haud quicquam juſtius, meliuſque dici, agive videretur. At Deus res aliter tractat. Quod jubet, aperte jubet: non oblique, non pedetentim. Nihil ei circuitu opus eſt, nulla ei præfatio neceſſaria qua perſuadeat verum, bonumque eſſe quod poſtulat. Cur ita? quia tam bonus eſt ſua ſponte: tanta prærogativa in eo eſt juſtitiæ & æquitatis, ut qui eum audiat monentem, pareat, acquieſcat in continenti. Plures Religio continet, quam metus. Exempli gratia: Filius petulantior erat: proptereaque ſæpe familia ejectus? imo & tandem à parentibus abdicatus, quia in eum nihil humani proderat quicquam? Si tranſibat ad Chriſtianiſmum: hoc ſolo (Septimius inquit) revertebatur ad bonam mentem: unica hac ſuadela reſtituebatur pietati & officio. Profecto ſi Naturæ, legibuſve hominum Deus, interpoſuit ſeſe: nihil inde detraxit tamen

im-

Imperavit obedientiam: sed potestatem non ademit. Imo, longe post Christum, ea quæ necis aut vitæ fuit, valuit inter fideles. Et si quid veteres Christiani redarguerunt in Paganis, veluti infanticidia, aut gladiatorios ludos: adversus jus illud horrendum nihil dixerunt. Utcunque Deus Opt. Max. nude pronunciavit, HONORA PATREM ET MATREM TUAM: nihilominus duabus præcipue de causis, leges hominum antevertit. Una: quia constans ac perpetuum est quod jubet. Nostra quotidie immutantur. Si quid hodie placet, cras displicet. Videre est in eo ipso jure quod à Romulo introductum est. Nam initio licebat sine exceptione filium interficere. Postea, nisi consilio adhibito. Rursus: non inauditum. denique non judicio domestico, sed per Magistratum. Imo vero tandem jus illud extremum evanuit prorsus. Altera, quia si edictum Consulari Prætorio majus est: Honorarium,

Ædi-

Ædilitio: necesse est eo tanto Divinū humano anteferri. Quamobrem? *quia prudentia humana tam falli, quam contemni facilis est*, inquit Tertullianus ille. In Deo nihil tale est. Ergo Gregorius, qui ista sentiebat, & qui præcepto domini nullam limitationem afferebat: cum mundum vertisset, & contra votum, imperiumque patris, monasterio deditus, refugeret paternum Episcopatum: pertimuit tandem. Possim patri meo opt. sine fraude (inquit) impius, inobediensque esse? accusari contumaciæ, fierique reus Naturæ violatæ, pollutæve? Igitur missâ solitudine redit domum. Sedem Ecclesiamque accipit. [*Et hoc facio* (inquit) *jussu Dei magis, quam hominum metu. Itaque (ô pater) dicto jam audienti præbe benedictionem.*] Potest Gregorius ille sic accipi. Nam & Chrysostomus, lib. II. adversus vitup. vitæ monasti. sic scribit: *Filius non tantum naturali lege te colit, observat, honorat: verum multo magis; ut*

ut Dei jussis obtemperet, propter quem cuncta simul penitus despexit ac reliquit. Sed si nihilominus verum est, jam ne extare quidem ulla vestigia patriæ illius potestatis quam quærimus: sique auctoritas domestica hodie vix in umbra & imagine consistit: qui ille omnino defendi possit? Jam diu abrogata est contrario usu (ut diximus) summa vitæ ac necis potestas illa. Nec ultra est pignori, aut venditioni locus. exhæredationi, ne vix quidem. Quicquid acquirit filius, sibi hodie acquirit: non patri. In jus vocat, accusat sine veniâ Denique (ut ajunt) ea Religio nunc est, ea traditio Ecclesiæ: filium, quamlibet vitam instituat: nubat, aut monasticam voveat: posse ista omnia spreto, invitoque patre. Qua igitur in re, aut quo in negotio consisteret inter Christianos (ô Nazianzene) Deî & Naturæ elogium illud, HONORA PATREM? In quo collocabas auctoritatem, majestatemve domesticam, cum tan-

tantopere reformidabas in eam ne impingeres? Si illis casibus quos attigimus, possunt liberi parentibus impune non parêre: qui hi sunt quibus ex vetere jure nunc nō liceat quoque? quæ capita domesticæ disciplinæ Christiana etiamnum approbat fides? An fieri potest, ut Ethnici punierint usque ad inferos, filium inverecundum, adeo iis placebat obedientia in parentes (ex illo patre hoc natum est, qui ut narrat *Pausanias, lib.* 10. infra naviculam Charontis, filium in se iniquum olim ibi strangulavit.) & Christiani contra casus invenerint, in quibus hic licita esset impietas in parentes? An (ut ait *Theophilus, lib.* 3. *ad Eutol.*) ideo præcipue displicuit lex Platonis de communione uxorum, quia periculum erat, ne filius eum, qui non erat pater, ut patrem honoraret: qui esset revera, ei ignorantia ductus, nullam reverentiam deferret, quæ tamen adeo collocatur, adeo debetur inter præcepta Juris Gentium,

&

& quidem ſecundo loco : ita enim Pomponius, ut parentibus, & patriæ pareamus : & noſtra Religione in ea re potiſſimum peccaremus ? Ergo dicemus ante omnia & quaſi per averſionem, ſtultum, impiumque eſſe, ponere & affirmare, ſi debilitata eſt patria poteſtas, ſi diminuta, & quaſi redacta in ordinem : nullam propterea amplius eſſe : Aut, ut fuerit abrogatum imperium domeſticum (nam & Romani ſic appellabant) propterea ſequi, remotam eſſe ab ea poteſtate cum pietatem, tum reverentiam naturalem. Deinde, deſcendendo ad particularia, inſpiciemus ſi ſingula ſunt hujuſmodi, ut in iis ſit neceſſe, aut non liberos adhuc parentibus obedire. Facile id obtinebimus, ſi ſcrutabimur quid eſſet apud veteres quod ita à liberis exigebant, cum tantum jus, tantam poteſtatem parentibus largiebantur. Certum eſt, hoc proterea non feciſſe, ut parentes in cauſa liberorum eſſent pro Magiſtratu : & quem-

quemadmodum in foro jus civibus dicitur à Prætore, ita à patre fieret domi, quocunque modo, & adversus quemcunque liberi deliquissent: denique, non ut alia esset Jurisdictio publica, alia domestica. Criminibus enim publicis, & si quid committerent extra focum, præpositus erat Magistratus. Neque ita bene infertur, Reus est filius familias: ergo nullus ei Judex debet esse præter patrem. Certe quidem Romæ, & apud quasdam alias gentes (de quibus scripsimus, lib. 6. Rerum Judicatarum cap. 7.) extitere, qui, vi patriæ potestatis, de eis quoque cognovere quæ liberi extra familiam deliquissent: cujusmodi sunt Cassius, Manlius, Torquatus, C. Flaminius, & alii plerique. Non igitur ea fuit occasio propter quam veteres tantam prærogativam parentibus tribuissent. Ea est de qua Halicarnassæus in Romulo, nempe, ut cum liberi animadverterent quæ domi in se potestas esset, hanc vel publica esse ampliorem:

ampliorem: primum enim parentibus, postea Patriæ jubentur obedire: sed & Principem ipsum vix quicquam posse incognita causa: parentes ex adverso, omnia quasi pro libidine (ita enim Aristoteles in politicis) hi sese obsequio voverent, nihilque omnino nisi ex formula agerent, hoc est, *si non edictum, præscriptumque esset à parentibus.* Sibi neque velle, neque nolle aliud esset, eo excepto quod ab his, tanquam à fronte & capite accepissent, Denique, ut, quemadmodum freno, calcare & bacillo admoto paret equiti jumentum: Sic metu tantæ disciplinæ, filius familias, quasi altero Deo, auctorique suo, faceret, pareret patri. Sane si nihil aliud majores nostri voluissent, quam frenum adolescentiæ apponere: si nihil nisi ea vitia impedire, ad quæ natura est proclivior: finissent eam potestatem ætate, dignitate, aut conditione aliqua. Atqui filiifamilias, quoscunque annos attigissent, quemvis

vis iniissent Magistratum, Sacerdotiumve, semper erant alieni juris. Quid igitur? quicquid pater de liberis statuisset, cuilibet vitæ destinasset, etiam rusticæ, ut L. Manlius, intuitu tantæ potestatis, contra quam nulla esset intercessio, nullum auxilium: omnis obedientia erat necessaria. Ea re eveniebat, ut filii negotia omnia sic à patre proficiscerentur, ut ab origine, exemplar: à scaturigine, rivulus. Sane, si, filio ab ea aberranti via: si contumaci, si inverecundo alii duriores pœnas invenerunt, alii leviores: si alibi patri judicium dedere, alibi querelam, testimoniumve duntaxat: imo vero, si longo intervallo pœnæ omnes domesticæ abiere in desuetudinem (de animadversione puerili, nihil ad rem) non propterea sequitur, desiisse rectum esse sua sponte quod de pietate est constitutum: non sequitur, cessare legem, edictumque omnium Gentium, *Liberi quacunque in re parentibus dicto audientes sunto.* Jura, etsi impunita,

nita, jura ſunt, ut, de adulterio, licet de eo vix agatur, attamen ſemper naturâ ſuâ turpe eſt. Si negligentiâ, aut diſſimulatione non punitur: lex qua prohibetur, non minus pudica & honeſta eſt. Sic obedientia liberorum, non minus juſta ac legitima, ſi inulta eſt plerumque. Ex Moſe hoc præcipuè cognoſcitur. Ut pater filium ſuâ manu occideret, noluit quidem. Voluit impetrari, ac fieri per Magiſtratum. Sed hoc ſine alia inquiſitione, quam quod pater ita poſtulaſſet. Unde profecto colligitur, patrem apud Judæos qnoque jus vitæ & necis habuiſſe. Nam quamvis retardatum ea formula: non tam difficile eſt petere parricidium quam facere. Veruntamen, quo crimine Judæus ille Legiſlator volebat filium deferri poſſe à patre, & eâ delatione ſola lapidari in continenti? an quia parricida, aut ſacrilegus? quia perduellis, quia latro, aut adulter? an denique, quia in legem aliquam publicorum judiciorum commiſiſſet?

Hu-

Audiamus eum loquentem: *Si genuerit homo filium contumacèm ac protervum, qui non audierit patris, matrisque imperium & coërcitus obedire contemserit: apprehendent eum, & ducent ad seniores civitatis illius, & ad portam judicii: dicentque ad eos, Filius noster iste protervus ac contumax est: monita nostra audire contemnit. Vacat commessationibus, luxuriæ, ac conviviis. Lapidibus eum obruet populus: & morietur.* Quæ vitia hic narrat nisi commissa in parentes, nisi familiaria ac domestica? nisi patrata in foco, non in foro? Profectò, quemadmodum voluit disciplina militaris, ut contumacia in milite esset capitalis, quia nulla alia re res tam periclitantur: sic domestica, in qua pater est pro Dictatore, necessario postulavit, ut omnes qui essent in familia, servi, liberi, uxor, animalia omnia patrem unum suspicerent, colerent: neque eorum esset ulla alia voluntas, ulla inclinatio, quam quæ profecta à patre

illo atque Imperatore familias. Est apud Ælianum de Rhacone Mardo, cum Cartomen filium, revinctis manibus, adduxisset ad Artaxerxem, ut eum occîdi juberet, quia audax, quia nequam, quia perditus: & hoc identidem urgeret: Potisne es (Rex Persarum inquit) ferre, & aspicere, filio eripi vitam? Respondit: Est mihi lactuca in horto, lasciviens foliis. Sint licet pars corporis: defringo amara, & superflua. An deperit propterea, & quasi luget surculo exciso? imo tanto efflorescit, & eo damno fit dulcior. De me (ô Rex) sic existimes. Nam etsi mortem ejus aspexero qui familiæ officit meæ, & qui fraterculos corrumpit petulantiâ & proterviâ: melius mecum esse arbitrabor, genereque non diminui, sed augescere. Hæc Mosi, hæc Halicarnassæo conveniunt. Sed quo ista magis confirmentur: quî fit ut hæc quæstio, *An filius aliquo casu jure non obediat patri*, egrediens domo in scholam venerit: hinc

B tandem

tandem in judicium : nisi quia erat antea inaudita : & ratum, firmumque erat nullo olim casu contigisse? Danaus, cum filias quinquaginta nepotibus ex Egisto vi dedisset in matrimonium: mandaverat virginibus, ut in diem ipsum nuptiarum, gladio, quem ad hoc obtulisset, unaquæque sponsum occideret (est apud Chalcondylam, idem imperium medici cujusdam Florentini, qui filiæ imperavit, ut eadem nocte veneno occideret Lantislaum) fecêre ex præcepto, unâ exceptâ Hypermnestrâ, quæ Lincæum servavit. Quid inde? tantum abest ut sicariæ istæ & parricidæ causam eo nomine dicerent : & paruisse, crimen esset : ut contra Hypermnestra, *Quod non obtemperaßet*, accersita sit capitis, vixque eo evaserit judicio. Adeo in obedientiâ quæ parentibus debetur nulla admittebatur exceptio, negare, aut tergiversari non licebat. Absoluta est quidem : sed paribus sententiis: sed ea hæsitatione, eo periculo

culo (patet ex ejus epistola apud Ovidium) ut Veneri & Dianæ, quasi è naufragio, & templum & tabellam construxerit, fixerit. Quomodò itaque diminueretur obedientia illa domestica, cum, liberi etsi parendo deliquissent, paruisse, laus sit: non paruisse, crimen? Velle non creditur, qui obsequitur imperio patris, vel domini, inquit Ulpianus, & venia dignus est qui obtemperavit, ut ille ipse ait l. 11. de iis qui not. infam. Certe idem dicebatur à Tiberio, Filium non posse detrectare jussa patris. Utut sit, obtinuit certe (inquit Gellius) sive honestum sit quod jubetur, sive medium: obtemperari debere omnino. Si turpe: ita attamen non parendum, ut fiat leniter ac verecunde: non cum reprehensione aut detestatione aliqua. Differatur, declineturque magis, quam respuatur quod jubetur. Sit in contumacia pudor: filius, non parendo, pareat patri: veluti Agesilaus qui patri imperanti, ut contra leges sen-

tentiam diceret: Memini (inquit) te olim mihi pro legibus imperasse. Faciam igitur non quod hodie jubes, sed quod jussisti aliquando. Veluti Acrotatus: à quo cum parentes inique aliquit exigerent: honeste sic negavit: Scio vos velle ut quod justum est faciam: ita enim olim me instituistis. Faciam igitur quod vultis: & quod jubetis, non faciam. Qui aperte contradiceret, atque obsisteret arroganter adderet petulantiæ impietatem: impietati, scelus. Etiam in bona causa, filii apud parentes debet humilis esse oratio, inquit Salvianus Presbyter. Utrum enim verum esset quod dictum est à majoribus, *Vultu quoque lædi pietatem*, si jure aliquo filii inobedientia defenderetur? Legatus esset inviolabilis apud hostes? in eum verbo quoque abstineretur? & paterfamilias haberet domi, atque inter lares, justum correctorem, contradictorem, adversarium? Sed cur tantopere huic positioni immoramur, videlicet, propterea hoc
jus

jus domesticum introduci, ut si quid contra à liberis obtenderetur, omnis interclusa esset refragandi ac disputandi via? Infusum, insitum est à natura. Jus naturale postulat, ut liberi subditi sint parentibus. Sanctum & laudabile censetur, non solum apud Deum, sed & apud homines, videlicet ut in simplicitate, & absque omni malitia subjiciamur parentibus, inquit Theophilus ad Eutolycum. Et quod Deus ipse nihil addidit ultra præceptum: fecit eam ob causam quia sufficiebat perstrinxisse quod alioqui naturale esset, ac commune inter omnes, ideoq; immutabile, ideoque constans ac perpetuum. Ut ergo doceamus patriam potestatem esse è natura: mulierne potest magis naturaliter subjici viro; quam filius patri? Atqui mulier, sola sexus infirmitate homini subjicitur: Filius, eo amplius, ætate, atque beneficentiâ. Ut vero illa duo non sint, ne, quam pariunt obligationem, eam quis dixerit expirare adepta ætate, &

viribus: (quanquam, quæ prærogativa inde acquiritur, perpetuo durat, inquit Ariſtoteles) quæſo ultimum quale eſt? Naturaliter ad remunerandum obligati ſumus. Nam quis ab Ulpiano diſſentiat? & (ut pulchre à Philone) delinquit in humanitatem qui ingratus eſt: qui acceptum beneficium, quantum in ſe eſt, non rependit. Imo, homini beneficium non referre, ſimile eſt homicidio, inquit Ambroſius, de obitu fratris. Atqui nulla major obligatio eſt, quam quæ à liberis parentibus debetur. A Deo Dii noſtri ſunt. Quod ſumus, quod vivimus, quod movemur, paternum beneficium eſt: atque hujuſmodi beneficium, ut Compenſationem non admittat. Nunquam enim poſſe accidere ut filius procreet patrem. Quod ad matrem ſpectat, quid ipſa nutrimenta? quid infantium dulces injuriæ? Cogente Naturâ, infantes de matre ſumunt quod bibant: & non nato dente, hoc ſibi, currentibus labris, eliciunt

ciunt quod non ſit neceſſe mordere, inquit is cui aſcribitur epiſtola Hieronymi, de honorandis parentibus. Et adjicit: Ideô parentes debent haberi dulciores, quia per alios reparari non poſſunt. Et cum eos lex Naturæ ſubtraxerit, nec patrem tibi alterum poteris invenire nec matrem. Quæ eſſet igitur invidia, ſi (ut ille alter Plato) exigua, pro ampliſſimis: pauca, pro multis penderentur? Quicquid poſſemus unquam (quod Seneca adducit in contrarium, Scholaſtice dicit) nihil eſt præ hac luce, præ educatione, libertate, civitate, & præ iis quibus perpetuo ſuſtentamur, paternis, avitiſque bonis: quæ omnia certe beneficia ſunt parentum. Sed quid Origines ille, qui quando bene, nemo melius? Is, homilia 11. in Leviticum, ſic ſcribit: Nomen patris grande myſterium eſt: & nomen Matris, arcana reverentia. Pater tibi ſecundum Spiritum, Deus eſt: Mater, Jeruſalem cœleſtis. Primo tibi pater Deus eſt,

qui genuit Spiritum tuum: hinc, *Filios genui, & exaltavi.* Secundo, pater tibi carnis eſt pater, cujus myſterio in carne natus es, atque in hunc mundum veniſti: qui te portavit in lumbis. Quia igitur tam ſacratum eſt nomen patris, & tam venerabile: idcirco qui maledixerit patri, morte morietur. Similia de matre exiſtimanda ſunt, cujus labore, cujus cura, cujus miniſterio & natus & nutritus es. Quare oportet, te, ſecundum Apoſtolum, parem gratiam referre parentibus. Si enim dehonoraveris patrem carnalem, hujus contumelia ad patrem Spiritus redit: & ſi injuriam feceris matri carnali, ad illam matrem Hieruſalem cœleſtem redundat injuria. Ideoque nullo genere, adverſus patrem aut matrem, ne verbo quidem habendum eſt certamen movendaque controverſia. Pater eſt, mater eſt. Ut ipſis videtur, agant, faciant, dicant, ipſi noverint quantumcuuque detulerimus obſequii: nondum reddidimus gratiæ vicem,

vicem, quâ geniti sumus, quâ portati, quâ hausimus lucem, quâ nutriti sumus: fortassis & eruditis & honestis artibus eruditi. Imo plerunque ipsis auctoribus agnovimus Deum, ad Ecclesiam Dei venimus, & sermonem divinæ legis audivimus. Quod si jus istud cum divinum, tum naturale atque ea mutua beneficentia transit ad bruta quoque animantia: homo quem Gratiæ aluerunt, cui nativa est urbanitas, cederet leoni, ciconiæ, pardo? (de ciconiis, de hirundine, pulchrè Ambrosius lib. 5. examе. cap. 16. & 17.) *Et si* (ut ait Epictetus) *Natura non exigit, quis fiet pater, probus an improbus: vilior an honestior sit, perpetuo pater est*: neque ea deficit unquam obligatio, quam procreando contraxit: is, si quid voluerit, jusserit, potestne ullo casu dubitari, sit id faciendum, nec ne? Liberto, & filio semper honesta & sancta persona patris ac patroni videri debet, inquit Ulpianus. Sin aliquis objiciat quod quondam

Diogenes Zenoni, generatione liberos parentibus non teneri: propterea quod ea non ex affectu proficiſcitur, imo ex voluptate: & qui dat operam liberis, cum hoc maxime agit, aliud agit: generationi non incumbit, ſed voluptati: bene eſt, ſi Cynicos placeat eſſe: ſi vel à beſtiis arcere hoc munus (quæ ipſæ tamen, cum lege Naturæ, & deſtinato tempore ad procreationem miſceantur (inquit Athenagoras) non tam feruntur appetitu, quam deſiderio catulorum) bene eſt, ſi jam nulla ſit differentia inter copulationem animalium, & eam quæ noſtra eſt: ſi dixerimus, matrimonium non amplius eſſe juris Gentium, ſed Naturalis: ſi Chriſtianis deſiiſſe eſſe ſacramentum. ſi ſit denique contumelia, non fœdus. non divinarum, humanarumque rerum: ſed voluptatis ſocietas, ac communicatio quædam. At qui iſta ſentirent de nuptiis, aut facerent inſcii, aut tædio tandem ſolitudinis ingratæ, ac injucundæ. Ve-
rum

rum Socrates, apud Xenophontem Diogeni abunde ſatis fecerat. Quid nuptiæ erant neceſſariæ, ſi (inquit) procreatio liberorum ex ſola libidine proficiſcitur? paſſim poterat expleri. Sed quod nos ſubjecimus matrimonio, (oneri alioqui duro) fecimus liberorum procreandorũ cauſâ. Non enim tam ſoliciti eſſemus, uxor qua ætate eſſet, quo genere, quibus moribus: ſed & natos ex eo matrimonio non educaremus ea curâ, non erudiremus: collocaremus etiam viciſſim, ſi ſola libidine ac voluptate duceremur. Quam Philo ille divinius, qui de fœdere iſto ſic pronunciavit in Dialogo: *Parentes gignendis liberis ſubminiſtrant Deo. Ambo filiationi conferunt: hi corpus, ille animam* (propterea Ignatius, ad Philadelphenſes, parentes, Dei cooperatores appellat: & ea ratione, *homo Dei imago eſt*, inquit Clemens Alex. lib. 11. Pedagog) Qui itaque alterum negligit, negligit utrumque, aut quicontem-

 nit

nit operarios, artificem, contemnit. Imo vero (ait Philo) operarii non ſunt, ſed Dii quidam inter nos: qui dum gignunt, Deum ingenitum imitantur. hoc differunt, quod Deus, Creator univerſalis eſt: pater, ſingularis. Ille, omnium: hic liberorum duntaxat. Quo fit ut neceſſario (inquit ſit impius erga Deum inviſibilem atque incomprehenſibilem, qui erga hos Deos præſentes, conſpicuos, ac familiares officia omnia non exercet. Id ipſum erat in Johanne, epiſtola 1. cap. 4. SI QUIS DIXERIT, DILIGO DEUM: ET FRATREM SUUM ODERIT, MENDAX EST. QUI ENIM NON DILIGET FRATREM SUUM QUEM VIDET: DEUM, QUEM NON VIDET, QUI DILIGAT? Per amorem Dei, amor proximi gignitur: per amorem proximi, amor Dei, nutritur, inquit Gregorius Magnus lib. 7. moralium, cap. 10. Sed & ille Legiſlator Judæorum cum inter ſacra

præ-

præcepta id primum collocasset quod de Deo est, & quod ad ejus honorem pertinet: eadem repetendo in Levitico, incipit à parentibus. Hos coli, hos honorari jubet: postea, de Deo similiter imperat: quasi Dii sint ex æquo: & valeant in omnem sensum hæ binæ definitiones, QUI HONORAT PATREM ET MATREM, HONORAT DEUM: ET, QUI DEUM, NECESSARIO PARENTES. Equidem Xenocrates Philosophus, cum scriberet, tria tantum extare præcepta in templo Eleusinæ apud Athenienses de Triptolemi legibus: incipit à parentibus, inquit Hieronymus adversus Jovinianum: Honorandos parentes: venerandos Deos: carnibus non vescendum. Et Plato ille divinissimus, (quem possumus vere alterum Mosem appellare) postquam de Deo multa conscripsit: Ea sunt (inquit) non tam profecto leges, quam præludia & exordia legum quas laturi

sumus.

ſumus pro parentibus. Qui patrem coli effatur, præfatur Deum. Quam ſanctè præ Teleucro, qui licet conſiderans pietatem, interrogatus, cur juvenes apud Lacedæmonios, ſenioribus aſſurgerent? reſpondit, ut hac re aſſueti in extraneis, patrem & matrem venerarentur tantò magis? Certe quidem pater (ut lib. de oratione Tertullianus ait) & pietatis & poteſtatis appellatio eſt. Qui igitur hanc aut illam tolleret: aut qui plus tribueret pietati, quam poteſtati, vel ex adverſo, tolleret utrumque: tolleret omnem eam prærogativam quam pater à Natura, à Deo, ab hominibus accepiſſet. Atqui, ſi pietas eſt perpetua: ſi prævalet ſemper: ſi nullo caſu perdit officium ſuum (hinc, qui conſecratus eſt Pietati, & Alemonæ locus) cur aliud de poteſtate diceremus? cur ubique non valeret? Quæſo, conſideremus quo bonum ſit argumentum quo Tertullianus vult evincere, Chriſtum Deum eſſe, non

Patrem,

Patrem, sed Filium. NON VENI (inquit) FACERE VOLUNTATEM MEAM, SED PATRIS QUI MISIT ME. HANC ADIMPLEVIT USQUE AD MORTEM. Ergo non erat Pater, sed filius. Quam vim haberet ea argumentatio, si voluntas filii alia à patre aliquando esset? Quid majestatis, quid amplitudinis adjiceret Deo sumpta à nobis patria ista cognominatio (nam qui aliter se sensui nostro subjiceret?). Si verbo nulla proprietas esset, nulla substantia? Si à liberis, parentes à parentibus, liberi sola appellatione distinguerentur: & varii essent, non jure, sed nomine duntaxat! At, cedo, qua alia re jam distant? Emancipatio non necessaria est amplius. Si post ventrem filius statim loqui posset: qui mores nostri sunt, sic diceret: Te ad hoc cognosco, (pater) ut nutrias me. Ingenuum edidisti: & post duodecim, aut quatuordecim annos, mea vitæ electio

est,

est, non tua. Modo in corpus nihil ausim consulto: ingratus, officiosusve sim; quis incusabit? Abrogata est patria potestas. Quod si Nemesis obtenditur: lucrum est in mora. Veruntamen ut hæc sola esset persuasio, quod qui offendit patrem, Deum revera offendit: quod, interdici aspectu patris, præcipua pœna est: denique quod ejus imprecationibus affici, nihil filio tam horrendum (ut de ea re postea amplius) ea satis adhuc sufficerent vallandæ ac sustinendæ ejus potestatis, quam tamen sic prostratam ac diminutam hodie quærimus. Sed, quæ depravatio est, certe ea non sufficiunt. Prævaleret antiqua illa severitas Romanorum: hoc est, *Lex indemnatorum*, de qua & Halicarnassæus ille, & Quintilianus sæpe. Cur ita? Respubl. nihil est aliud quam plurium ædium privatarum collectio in unum. Porro, ejus incunabula sic incipere à parentibus, ut qui dixerit, familiam, tanquam genitale solum,

ma-

matricem, radicemque esse: Rempub, vero, coloniam: verissime & aptissime dixerit. Qui itaque civitatem optime institui velit: qui ab ea pelli lasciviam, qui crimina ac facinora omnia: provideat domesticæ disciplinæ. Si domi modestos fecerit, si continentes, si paratos ad obediendum: migrabunt in Rempub. eâ naturà, eâ informatione, eo animo. Mutabunt limina, non mores. Contra, eam molliter curet: ducat loris mollioribus proditiones, cedes, rapinæ, adulteria scaturient in continenti. Hinc factum est (opinor) cur ultra illam potestatem domesticam, quasi ea per se imbecillior esset: Lares eo amplius præposuêre domesticis ædibus, ut pietatem Religio stabiliret: perficerentque ambo, tanquam validissima retinacula, ut quemadmodum infans digitulo ductus, ad extremum solitarius ambulat: sic vir in Repub. beneficio privatæ disciplinæ, sibi lex, formulaque esset: putaretque

retque Magiſtratui apponi faſces,non terrori, ſed ornamento. At me herculè nihil abſurdius, turpiuſve eſt, quam aliquid hîc Religioni imputari. Nam (ſi verum eſt quod jam antea attigimus) Religio Chriſtiana plus deſtruit hanc poteſtatem, quam erigit ac confirmat: nihilque liberos noſtros tam avocat à pietate & officio, quam quæ nunc collocantur ut contraria, *Deum colere, &, colere parentes.* Mirum profectò? Præcepta quæ conveniebant, & quæ una poterant impleri, dicuntur hodie oppoſita, & ea ſic pugnare invicem, ut qui pareat uni, alterum violet, Unde axiomata tam uova & inaudita? Ex ea, quæ & quondam fuit, diſputatione Philoſophorum: videlicet, *An ſemper atque in omnibus juſſis patri parendum eſſet:* Nam quemadmodum fuêre qui ita tractarunt hanc quæſtionem, ut Bias ſacrilegium: Nullus (inquiebat) eſt ſacrilegus. Nam ſi omnis locus eſt Deorum: fur nihil transfert ex loco ſacro,

ſacro, quin in ſacrum non transferat: Sic de patria poteſtate Philoſophi illi ſubtiliter: Nihil (ajebant) patri neceſſe obſequi. Nam aut recte imperat: & iſtud faciendum eſt, non quia jubet, ſed quia jus eſt. Aut perperam & nequicquam faciendum: quia fieri id per ſe non oportet. Parendum itaque nunquam. Atqui non erat integrum dilemma, inquit Gellius. Eſſe enim quædam μέσα, atque ἀδιάφορα in quibus propterea parendum eſt omnino. Deinde, quod ſua vi, naturaque ſua bonum & honeſtum eſt: eo magis etiam faciendum, quia amplius jubetur. Alii contra diſtinguebant: In quibuſdam parendum: in quibuſdam minime. Quid enim ſi proditionem patriæ, ſi necem matris, ſi Principis, ſi alia quædam turpia, & impia pater imperaret? Sic ubi apud Theologos cœpere hæc agitari: *Poſſitne quis ſimul ſervire Deo, & hominibus, an, Deo magis quam patri* (quaſi ulla eſſet dubitatio pro

Deo,

Deo, (si quid imperaretur impium) incidimus in pares ſententias Philoſophorum, hoc eſt, varias, inutiles, infames. Certe eos non deteſtor qui ſepararunt turpe ab honeſto: à juſto quod injuſtum eſt. Neque eos etiam omnino, qui conſtituere quædam indifferentia & media. Eſt quod poſſit aliquo modo excuſari. Sed tutius fuiſſet procul dubio, ſi in ea re nihil moviſſent: hoc eſt, ſi ab eorum ſententia non diſceſſiſſent, quæ erat una, & ſingularis, videlicet *omnibus quæ pater imperat, parendum.* Nam ut vera ſint quæ cavillando diſtinxerunt: verſantur nihilominus in proclivi, & talium quæſtionum periculoſiſſima eſt definitio. Quam cautius, prudentiuſque Philo ille in Decalogo, qui ad prima capita utriuſque legis ſic diviniſſime, ut omnia: qui relictis aliis omnibus negotiis ſolo ſe divino cultui applicant: aut qui, relicta ſanctitate ſolis parentibus, ſolive

ſolive hominum ſocietati, quaſi aut Dei, aut hominum ſolummodo amatores: ſemiperfectæ ſunt virtutis. Imo, qui partem alterutram læſerit, ambas læſerit. Plane ſunt quæ nunquam in medium adduci poſſunt, quin noceant ſtatim. Titubant jactata: examinata amittunt fidem. Quæſtiunculæ cibos imitantur. Nam ut delicatiores facilius putreſcunt: ſic nimis agitatæ ac diſtinctæ vitiant regulam. Si ſubſit Concilio Pontifex: ſi populo, Imperator: ſi Regno, Democratia antefertur: ſi in Religione, oppoſita admitti poſſunt: prima fronte pulcherrime hæc tractantur, ſed virus in concluſione eſt. Nam ex his diſputationibus primo quoque die emergunt ſchiſmata, ſeditiones, bella civilia. Quæſtio qua de agitur, eſt ejuſmodi. Qui enim ſemel dubitavit, Reverentia, atque obedientia domeſtica an perpetua debeat eſſe: neque adverſus Tarquinium amplexus eſt

ſen-

sententiam Turni : *Nullam breviorem esse cognitionem, quam quæ inter patrem & filium : paucisque verbis transigi posse. Ni pareat patri, habendum infortunium* quomodocunque; Naturam semel violaverit, læserit: in continenti lædet opprobrio, lædet vulnere, lædet parricidio: & à patre, facilis erit inobedientia in principem. Prævalebat igitur hæc determinatio antiquiorum Philosophorum: OMNIBUS QUÆ PATER IMPERAT, PARENDUM. Aut sane, si quid in contrarium accideret utilius erat hoc unum pro ut esset accipere: quam ex particulari quodam negotio, disputare contra commune præceptum, atque id sive in schola, sive in foro, sive in Ecclesia definire. Hoc Cicero prudenter in Officiis: nemo enim ibi legerit has quæstiones. Ratum, transactumque habuit, nunquam primas partes filio dari oportere, ut nec subdito adversus Principem: servo, adversus dominum: discipulo,

cipulo, in Magiſtrum. Non quod non mente & ratione prævaleant quandoque ſed quia in ipſa comparatione & oppoſitione perſonarum, ineſt læſio & injuria. Jus quod deprimitur, aufertur. Romæ in centum virali judicio, quo Accia Variola arguebat teſtamentum patris, Prætorii viri ob immodica legata quæ effuderat in novercam: tot patres, tot filii familiâs affuêre, anxii viciſſim ni aliquid patri, ni filiæ contra, præcipue tribueretur: ut judices ſapienter (inquit Plinius) reliquerint rem indeciſam, ne eſſet, quo liberi ullo caſu ſeſe parentibus anteferrent. Sed ut brevius agamus: in his quæſtionibus quos potiſſimum ſequemur? Philoſophos, an Apoſtolum? Hic ita ad Colloſſenſes: *Filii obedite parentibus, per omnia: hoc enim placitum eſt Domino.* Cum expreſſit hanc clauſulam *per omnia:* nonne illa duo exploſit, *in quibuſdam parendum*, aut *non parendum*? & rurſus. *Nihil neceſſe eſt obſequi?* Imo vero, cur

cur Deus, pater omnium parentum, prohibuit Adamo, ut de fructu arboris comederet: nisi ut experiretur an ei in omnibus obediret, inquit Theophilus ad Autolycum? Nec movet quod objiciatur: Quid ergo si pater proditionem imperaret? quia fingere est quæ non contingunt, aut ita raro ut debeant negligi. Contra, perpetua præsumptio est, quisquis sit paterfamilias, probior aut improbior, nihil eum filio unquam mandaturum, quod turpe, aut iniquum esse certo sciat. Etiam impudica filiæ imperat pudicitiam. Præterea, qui disputat de jussu: assignat (quæ Naturæ non respondent) senectuti, ignorantiam: adolescentiæ, consilium. Facit filium Judicem, sintne paternæ actiones justæ, an injustæ: rectæ sua sponte, an per interpretationem. quæ omnia naturæ & honesto non conveniunt. Serit ibi jurgia & lites, ubi una virtus debuit esse (quæ fuit præcipua Lacedæmoniorum) videlicet obedire, & sine

ſine cunctatione obedire. Sed quia error invaluit, & jam difficile cicatrix obduci poteſt: videamus quæ erant illa media, atque indifferentia, de quibus Gellius. Ut ſi (inquit) pater imperaret ire in militiam, rus colere, capeſſere honores, cauſas defendere, uxoren ducere, quo juſſum eſt proficiſci: accerſitum venire, & alia hoc genus, quæ ipſa per ſe neque inhoneſta ſunt, neque turpia: ſed perinde ut geruntur, ita ipſis actionibus videntur aut probanda, aut reprehenednda. Nam ſi contra imperaret uxorem ducere infamem, propudioſam, aut criminoſam: ſi pro Catilina, pro Bibulo, aut Clodio cauſam dicere. quia hic numerus turpitudinis accederet: quod juberetur, deſineret eſſe ἀδιάφορον. Si itaque hæc placerent, finita eſſet quæſtio, quouſque neceſſe ſit obſequi: niſi quod quæ Gellius diſerte pronunciavit eſſe indifferentia, nempe *uxorem ducere, &c. capeſcere hoc aut illud vivendi genus*:

nus: hodie prædicantur esse hujusmodi, ut in iis nihil adferat consensus, auctoritasque patris: possit filius familias ducere uxorem: se dedere Ecclesiæ: possit Monasterio, non modo spretis parentibus, verum etiam invitis, atque expresse prohibentibus. Quod omnes Academiæ, quod fora, quod judicia omnia, sine provocatione, Naturæ & Pietati tribuebant: abiudicant Religione & fide. Sed de voto hîc (quæso) potissimum. Nam aut tua accusatio est, qui, me inconsulto, te addixisti Jesuitis: aut mea in contrarium, qui, si id tibi permittit Ecclesia, ex ea re doleo tamen. De matrimonio, Paquerius noster sic erudite in epistolis, ut qui lineam præterea apponat, magis officiat sibi, quam picturæ. Id ei certe suffragatur, quod Patres in Synodo Tridentina tandem magnifice decreverunt: Licet nuptiæ clandestinæ (quales sunt quæ sine consensu patrum contrahuntur) tamdiu pro nuptiis

ptiis habeantur, quamdiu eas non improbaverit Ecclesia: nihil-ominus eam justis de causis tales nuptias prohibuisse & abhorruisse in universum. Ratæ, irritæve sint omnino: legitimæ, aut illegitimæ: vult sui arbitrij esse, non parentum. Suffragatur Christianorum Principum constitutio, quæ talem conjunctionem jubet Raptum esse, non *Nuptias:* aut si sint, distrahit gladio. Duo tamen adiiciam, non eo fastu, arrogantiave, ut ex his quicquam in eo contractu confirmem, aut infirmem, quæ vel Ecclesiæ, vel optimis Principibus nostris prudentissime placuerunt: sed ut liberi nostri hoc semper habeant in ore. Non omne quod licet, honestum est: caveantque, ne, quâ fuerint despicientiâ, contumaciave in parentes, eâdem (quæ divina est ultio) sint erga se etiam sui. Unum est de Rebecca, & de filia Thamnathei, quas licet Deus ipse destinavisset: Samsoni hanc, Isaaco alteram: voluit ta-

men matrimonia iſta fieri paterno voto & arbitrio: Rebeccam poſtulari à Bathuele, matre, & avunculo: nec mandato, aut internuncio filii, ſed Abrahami. Innocens eris (inquit ille ad ſervum) à maledictione mea, ſi veneris ad proximos meos, & hi non dederint tibi. Angelus Domini præparavit eas nuptias, patres contraxere. Alterum eſt Tertulliani ad uxorem: *Unde ſufficiam* (inquit) *ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii quod Eccleſia conciliat, & confirmat oblatio, & obſignatum Angeli renunciant: pater rato habet? Nam nec in terris filii ſine conſenſu patrum ritè & jure nubent.* Hoc innuit procul dubio: Nuptias Chriſtianorum eo feliciores, beatioreſque eſſe, quo à Deo magis comprobantur: quibuſve, ut in ſæculo parentes, ſic in cœlo conſenſerit Deus. Idem ſub Commodo viſum eſt Sotero, idem Evariſto, & Ambroſio.

Agamus itaque de votis: non, ſi ea valeant ipſo jure. Nam id pie habemus

pro

pro constanti. Neque etiam, si vita Religiosorum, imo si Ecclesiasticorum omnium purior, beatiorque est vitâ & conversatione Laïcorum. Nam neque id reddimus controversum. Romanos non imitamur, qui Magistratum Pontifici anteponebant: Sed vel Judæos, qui Levitas: vel majores nostros, qui Druidas Magistratui: imo etiam Chrysostomum, qui vel Principi Monachum anteponit. Quin id agamus (inquam) an in votis celebrandis liberum sit arbitrium liberorum. Denique uno verbo, An filius possit vitam Ecclesiasticam profiteri, inscio aut dissentiente patre: hoc est, si, quemadmodum in reliquis sacramentis, quo rata ac perfecta sint, quædam insunt legitima ac solemnia: sic in Sacramento Ordinis necessaria sit exhibitio, & oblatio patris. Ita nos de ea re quidem, ut est mediocris Jurisconsulti secretiora vestra aut scire, aut capescere. Quod si vel Theologia ipsa, vel illi tui sollicitatores

aliquid habent magis abſconditum, quo poſſint mihi abunde ſatisfacere: fac intelligam primo quoque die, ut, quod ad me attinet, definitioni eorum acquieſcam: tu contra, deſinas latitare: quinimo palam, & cum fiducia occinas illud quod depravatum ex D. Hieronymo fortaſſe tibi ſæpe obiiciunt, ſolum pietatis genus eſt, in hac re eſſe crudelem. Videamus itaque imprimis quæ voti obſervatio eſſet Paganorum. Nam etſi á vero cultu aberrabant, nihil tamen in Religione ſua prætermiſerunt (neſcio an ſuperavêre nos ipſos) quod ejus honorandæ, tutandæ, amplificandæque eſſet. Seſe, an ſua voverent: præterea in quam cauſam, nihil intererat Paganis. Semper nihilominus quæſitum eſſet, valuiſſetne votum ſine conſenſu & voluntate patris. Profectò ſi ageretur de immolandis liberis, certum eſt oportuiſſe eos offerri à parentibus. Patet ex Tertulliano ipſo in Apologetico: cum (inquit) propriis filiis

filiis Saturnus non pepercit, extraneis quoque perseverabat non parcendo: quos quidem ipsi parentes sui offerebant, & libentes exponebant, & infantibus blandiebantur, ne immolarentur lachrimantes: Patet ex Plutarcho lib. de superstitione, in fine. Nullive essent qui traderent? vulgare est quoque, non fuisse in potestate aut arbitrio Sacerdotis, quem sumeret eo casu ad sacrificium. Functio erat Magistratus: qui, hoc amplius, virginem sortiebatur, ut Dii ipsi sibi hostiam legerent, non Sacerdotes. Quem Dii sorte declarassent (ut qui Athenis Minoi pendebantur) hæc destinabatur sacrificio: qualis apud Homerum, Iphigenia, filia Agamemnonis: apud Pausaniam, filiæ Lycisci & Aristodemi: apud Plutarchum, Sminthei, quam Delphini cum Eualo amatore suo, exposuêre in littote. Hinc & ea declamationum argumenta: *Virgo immolata pestilentiæ*: *Abdicatus immmolandus*: *Soror*

 infamis

infamis immolanda: quas legere est partim apud Quintilianum (quem primi restituimus) partim apud Calphurnium, quem & Pithæus ille doctissimus. Sed in iis præcipue observandum, quod si filius, aut filia offerrent sese, parentes eis opponuntur ut contradictores justi ac legitimi. Nemo enim eos admisisset, ne in schola quidem, si licuisset filiisfamilias sacrare se sua sponte. Hinc est apud Philostratum, Meneceum, filium Creonis ex responso Tiresiæ vatis, sese immolasse inscio patre, cum id vellet prohibere. Verum memorabile est omnino quod libro illo de superstitione Plutarchus inquit: Si qui liberos non haberent, consuevisse emere ab humilioribus. Sed eo casu non suffecisse, si pater ille venalitius sacrificio interesset. Matrem naturalem adesse necesse fuit, ut morti consentiret, aut obsisteret. Virgilius ipse, lib. 11. Æneidos tangit ea sacrificia, cum Metabum introducit, filiam fluvio Amaseno immit-

immittentem: itaque effatur.

Alma tibi hanc, nemorum cultrix Latonia virgo.
Ipse pater famulam voveo.

Quo loco & Servius: Bene, *ipse pater*, quia auctorandi potestatem nisi patres non habent. Sed & Plutarchus, lib. de Iside & Osiride, sic alloquitur Cleam. sacerdotem: Parentes te à pueritia dedere huic Osiridi Deæ. Et de Græcis quidem hactenus. Quod attinet ad majores nostros: Gallorum (ut hodie quoque) tria erant genera. In iis primi erant Druidæ: qui quia tractabant res sacras, atque Religiones interpretabantur: tanto erant honore, tantamque habebant immunitatem omnium rerum, ut omnes certatim ad eos concurrerent, iisque adscribi, adsciscí vellent. Quid? an & filiifamilias sine consensu ac voluntate patrum? Nequaquam, ut his verbis Cæsar manifesto indicat. *Tantis* (inquit) *excitati præmiis, multi sua sponte in eorum disciplinam conveniunt*:

niunt : *multi à parentibus*, *propinquisque mittuntur*. Sponte, qui erant sui juris: missione qui alterius. Inter Romanos, titulus est Digestorum, qui inscribitur, *De pollicitationibus*. Ibi hæ præcipue memorantur, quæ Diis, quæque Reip. fiunt. Atqui eas nullius momenti esse, quæ fierent à filiisfamilias, sic docet Ulpianus: Voto patresfamilias obligantur : puberes sui juris. Filius enim familias vel servus, sine patris dominive auctoritate, voto non obligantur. Certe in patrefamilias pubertas desiderabatur. At in filio, cujuscunque is ætatis esset, & sive peculium haberet, sive non: nullum erat votum, nisi auctoritas patris accessisset. Quamobrem? quia, qui non est sui juris, neque se neque aliud quicquam potest obligare. Præterea, qui jus habet in re, id sine facto suo non amittit. Itaque filiusfamilias, ut pie ac religiose ageret vovendo rem alienam: furtum, injuriamve commisisset. Si bona: quia ad pa-

trem

trem pertinebant: si (quod magis est) personam: quia, ultra quod subdita erat potestati alienæ, parentes consecratione ista, hæredem, spem generis, propagationem nominis ac familiæ amisissent: ea denique bona atque emolumenta omnia quæ sibi per liberos acquirebantur. Itaque in voto filii necessarium erat arbitrium, judiciumque patris. Summa quidem interpretatio est quæ pro Religione facit: sed non ea certe quâ solemnia & legitima omittuntur, nam eo casu, magis polluitur, quam augetur. Par patris erat auctoritas, quæ Reip. Atqui est apud Livium: cum P. Cornelius Scipio, Prætor in Hispania, inter ipsum discrimen pugnæ vovisset ludos; & post victoriam postulasset â Senatu, ut ad eam rem pecunia sibi decerneretur: respondisse, *Ejus quod & sua unius sententia vovisset, senatum non teneri. Itaque aut faceret proprio sumptu, aut de manubiis, si quid reservasset.* Posset filius de bonis patris,

tris, atque eo inconsulto: quod neque summus Magistratus, sine consilio? Quod si de Vestalibus obiicitur, videri se religioni potuisse dedere invito patre, quia *capi*, non *legi*, dicebantur: ideoque Pontifex Maximus eas non acciperet, sed raperet à parentibus: non valet à notatione ista argumentatio. Nam tantum abest ut hæc clausula Pontificia, *Amata te capio*, notaret aliquid invitum, aut violentum: ut contra hoc quod volumus potissimum confirmaret. Non erat acceptio sine deditione. Sic Pontifex eam certe capiebat quæ Vestæ addicebatur: sed à patre datam & oblatam. Hinc Metabus ille apud Virgilium: Accipe, testor, Diva tuam. Sed hoc Gellius diserte, lib. primo. *Capi autem virgo propterea dici videtur, quia* (inquit) *Pontificis Maximi manu prehensa ab eo parente in cujus potestate est, veluti bello capta abducitur.* Et paulo ante, cum recitasset solemnitatem legis Papiæ, qua lectio, sortitio-

que

que inducebatur: Hodie (inquit) *si quis honesto loco natus adeat Pontificem, atque filiam suam offerat ad Sacerdotium: tam legitima professio est, quam si omnia ex lege Papia intervenissent vel accessissent.* Atqui tam necesse erat filiam familias offerri à parentibus, ut ea aliter non legeretur, quam si patrima, matrimaque esset. Nam si esset emancipata, aut pater ejus emancipatus: etiamsi vivo patre in avi potestate esset, rejiciebatur. Cur ita? nonne potuissent exhiberi ab avo? nonne à tutore, aut curatore? ea ipsa: sui juris esset, num potuisset vovere sese? Non licebat, ut à Labeone Antistio dicebatur. Propterea sese: quia sex annorum minor, nec major decem non capiebatur. Ut alii vero eam traderent: non erat qui id tam posset sine exceptione, quam pater. In aliis, necessaria erat causæ cognitio: in patre, nulla. Nam ut omnis bona causa erat adoptionis, quæ fieret à patre naturali: sic erat consecrati-

onis. Quid enim si filia voluisset discedere à Vesta? & avo, aut tutori objicere, Non satis habuisse pro potestate, qui & vitam & statum commutarent? Jus hoc in eo esse qui vitæ ac necis habeat potestatem. Ergo in patre duntaxat, quia nec avo quidem competebat, inquit Seneca: Sane qui sæculo exemptam applicat Deo, is ei vitam vitalem quodammodo adimit, imo & quasi patriam ipsam. Merito itaque solius patris hæc auctoritas debebat esse: & quæ usurpabatur à Pontifice, invalidam existimabant, nisi à patre cessa esset & accepta. Porro non est quod quis dicat, id locum habuisse duntaxat in Vestali, & præcipuè ob eam minorem ætatem quâ legebatur Sacerdotio. Nam & ex his verbis quæ sunt apud eundem Gellium: *Plerique autem capi virginem solum debere dici putant.* Sed Flamines quoque Diales, item Pontifices, & Augures capi dicebantur: manifesto apparet, idem jus fuisse in masculis,

si filii

si filii familias caperentur. Nonne cum apud Dionem legitur ea controversia, Quæ fuit de Cornelio Spintere in collegium Pontificum asciscendo, licet Faustus, qui erat ex eadem gente Cornelia, jam in eo esset Pontifex: idcirco utrique patres, naturalis & adoptivus, cooptionem præcipue defendunt, quia filium collegio offerrent, non filius sese? Profecto, nati non poterant exire patria potestate, quin pater auctor esset qnod tamen accidisset, si sine consensu patris hæc vota liberorum valuissent. Verum ut sensim ad Christianismum accedamus (neque enim fortasse Paganica exempla te moverent) quæ erat in hac quæstione lex, aut consuetudo Judæorum? Inprimis nullo causu aperte filio dicitur, *Relinque patrem & matrem*, nisi ut adhæreat uxori. Si quid alibi est hujusmodi: consilium est, non præceptum. Res datur disquisitioni, ut nos alio loco diffusius. Jubetur hic, sine exceptione,

tione, fieri cum natura divortium. In aliis casibus, tam caute tam pedetentim, ut tutius sit à recta via ac regula non discedere. Veruntamen quicquid de ea discessione enunciatum sit ab Adamo: an propterea valet, quod obligatio maritalis major, auctiorque videatur esse, quam patris? Imo hæc originem habet à Natura: proficiscitur ex suitate & identitate. Illa, ex humana ac politica societate duntaxat. Quod maritus & uxor pro uno veluti habentur: fictione & imaginatione fit. Itaque facillime segregantur, ut & Anastasius inquit, lib. 10. commentariorum in Hexameron. At filius, os ex ossibus, caro ex carne est penitus. Una & eadem persona est cum patre: ejusdem substantiæ, ejusdem corporis & animi quasi delibatio quædam: quo fit ut nihil possit extrinsecus accidere, quin filius perpetuo sit filius. Quæcumque abdicatio, expositio, venditio, emancipatio, aut adoptio interveniat:

niat: ſemper prævalet Natura. Jus ſanguinis nunquam immutatur. Filia, licet expoſita à patre, ante Conſtantinum, ne poterat quidem nubere ſine conſenſu patris. At uxor, deſiit eſſe pluribus modis: re judicata, inſaniâ (ut conſtitutum eſt à Leone) Separatione, ſervitute, divortio. In liberis hoc mirifice accidit, ut, quanquam extincta principali obligatione, maneat pignoratitia, Perpetua ſunt pignora Naturæ. Cur itaque filius deſerit patrem & matrem ut adhæreat uxori? cur omittit quod majus eſt: quod minus eſt, amplectitur? Quia, hoc caſu, parentes id volunt tacite: & propter commune votum propagandi generis, quod nos liberi derelinquant, volentibus & conſentientibus hoc faciunt: ut videlicet, quemadmodum nobis hi proxime ſuccedunt, ſic eis fiat viciſſim. Veruntamen, ſeorſum habitare cum uxore: an eſt parentem deſerere, aut relinquere? Imo in hoc maxime

obediunt liberi, quod si matrimonia contrahunt, si familias alienas, tanquam colonias, inchoant: faciunt voluntate atque arbitrio parentum. Quo modo, *dare operam uxori*, esset deciscere, ac discedere à patre: cum liberi matrimonio non acquirerent emancipationem? cum maritus & uxor non minus essent in potestate patris? cum jura naturalia ac civilia nuptiis non immutarentur? Ut ut sit, sententiæ Adami, Deus, qui, sive liberi contraxerint matrimonium, sive non, memor illius juris quod jam constituisset à Natura: sine exceptione addidit hoc oraculum. *Honora patrem tuum & matrem tuam.* præcise magis, quam si hoc modo, *Ei eæque obtempera.* Nam in reverentia, obedientia consistit. & est qui obsequi non tenetur, cui cultus tamen necessarius est. Exempli gratiâ: Si summo jure potes vel nubere, vel vitam monasticam profiteri me invito: ut votum, matrimoniumve quodammo-

do

do subsistat : debes nihilominus, vi tanti oraculi, prius veniam à me impetrasse, prius consuluisse quid sententiam, prius denique docuisse quid te impulerit in illam, aut illam vitam : propensio, inclinatiove spontanea ac prudens : an circumventio, persuasiove extranea & mendicata? Eo omisso officio, & eo ritu : sit actus tam legitimus, quam qui est maxime : ubi est, quem præscripsit Deus, honor, reverentia cultus humanior? Si id nisi ad solemnitatem intervenit : solemnitas dat esse rei. Pergamus. Est apud Marium Victorem, oratorem Massiliensem, Tit. III. commentariorum in Genesim, Abraâmum, qui licet primo à lumine vitæ,

Verum mente Deum venerans, gentilia sacra
Aversatus erat :

Dominum tamen non prius jussisse :

Linqueret ut sedes patrias, terramque nocentem
Pollutamque domum, nisi (eum) postquam morte parentis
Jussa sequi jam posse Dei sine fraude liquebat.

Quid

Quid dicemus? an plus posse Jesuitas adversum te, quam Dominum in Abraâmum? Hic natus erat 75. annis, cum, nisi mortuis parentibus jussit ei Dominus, ut, patriâ relictâ, ascenderet in terram Cananeam: tu, natus 16. me, & matre tua vivis, quia id Jesuitæ jubent, & patrem & patriam deseris. Si alterius voti caussâ: Id majus est quod mihi Natura, ac Deo jubente debes. Atqui vel Marius sub Theodosio & Valente fuit: Jesuitæ ante Franciscum I. regem nostrum non fuere. Deinde, cur eidem Abraâmo Deus imperavit, ut filium sibi immolaret, essetque sacrificii auctor: nisi quia, in omni causa liberorum, judicium patris debet adhiberi? Si nihil DEO interfuisset, quis, quæve sibi Isaachium immolaret: ac perinde gratum, justumque habuisset sacrificium, id pater, an alius fecisset: magis hoc alteri mandasset, quam patri. Non enim Religio sanctior, augustiorque est, quod sit conjuncta par-

parricidio. Quid igitur? Deus voluit ſibi dedi Iſaachium. Sed quia iſta deditio debet à patre proficiſci: cum dare imperavit, qui, quia pro poteſtate, mactando non delinqueret. Pater non tenetur parricidii, inquit Martianus. Si in Iſaachio, ſi in Samuele cauſaveris ætatem: quia eſſent videlicet impuberes, propterea fuiſſe neceſſarium ut patres intervenirent: filia Jephthei, quæ reapſe immolata eſt (ſic ut ab Erectheo, Praxithea: à Mario Calpurnia) erat apta matrimonio. Præterea, quid poteſt Elyſæo obiici? Ad Prophetiam vocatus (quæ fuit vita quædam Regularis, ut unctione, pallio, & abſtinentiâ apparet) etſi major annis, etſi ab Elia Propheta, etſi Deo mandante nominatim: attamen reſpondit. *Oro te, patrem meum oſculer, & matrem meam. Sic te ſequor.* Oſculum, erat benedictio patris, veniaque quam de eo exigeret prius. Quid Elias? *Vade, at revertere. Quod enim meum erat, fecit tibi.* Quaſi diceret: *Quod ſuper-*

ſupereſt, pendet à parentibus. Nam etſi Deus expreſſe juſſit, ut te ungerem Prophetam poſt me: quî fieret, ſi hi Dii ſecundi intercederent? Ergo poſtea quam Propheta eum induit pallio, continuo quidem Eliſæus, miſſo aratro, Eliam eſt ſecutus. Attamen non prius diſceſſit à parente, quam ab eo veniâ impetratà. Equidem, ſub vetere Teſtamento, perſonalia vota pecuniâ redimebantur: & quæ erant Nazaræorum, tempore finiebantur: Sed cap. 30. Numer. Tam manifeſte ſcriptum eſt quid de filia eſſet obſervandum, ut turpe ſit quæri aliquid in eontrarium, *Mulier* (inquit) *quæ eſt in domo patris, ſi quidpiam voverit, ſeque obſtrinxerit juramento: rea erit voti, niſi id fecerit contradicente patre.* Sed ne ætas obtenderetur: de uxore idem ſcriptum eſt, ut, ſive adhuc eſſet in domo patris, ſive deducta per maritum: votum non valeret cui maritus non conſenſerit. Moſes nullam excepit præter repudiatam, aut viduam.

duam. Unde hoc? an quia concurrente patria poteſtate, aut maritali, debilior eſt Divina? Minimè ſanè. Sed, quia illæ ipſæ à Deo ſunt, has ſtabiliendo confirmat ſuam. Atqui hæ exceptiones viduitatis, aut matrimonii non erant neceſſariæ in filio. Nam ubi primum deſiiſſet eſſe familia, nulla erat difficultas, ſi vir eſſet, quin iis votis rite ſe obligaret quæ in vetere Teſtamento admittebantur. Nam, excepto jejunio, aut ciborum abſtinentiâ quadam, vix ſe alia re affligebant. Verum mulier (ut Romæ) erat in perpetua tutela, nunc patris, nunc mariti, nunc etiam fratris, ſi innupta patrem amiſiſſet. Quapropter ſi quid fœminæ voverent, ibi Legiſlator ille cautior ac difficilior fuit. Sed filius quamdiu manſiſſet in familia: quis dubitat eo caſu quin fuiſſet in pari cauſa cum ſorore? Pecuniam voviſſet? erat aliena. An, (quod magis eſt) perſonam? erat alteri ſubjecta. Quomodo igitur qui

non eſt ſui juris, is ſeſe obligaret, noceretque patri, qui omne in eum jus habebat? Turpe eſt dicere, præcipuum exemplum pietatis magis eſſe in fœmina, quam in maſculo. Nam, cedo: cur apud veteres ita ambigebatur, poſſentne liberi furioſi, aut mente capti contrahere nuptias: & de filia quidem conſentiebant: de filio, tantopere dubitabant? Nonne propterea quia familiæ columna eſt maſculus: quia gens in eo conſiſtit, in eo ſtemmata, in eo imagines? Itaque magis provideri oportebat ne is indigne conjungeretur, in quo major reverentiæ obligatio eſt, cultus, officiique major? Si novas contrahat affinitatis nepotes, hæredesve novos parturiat avo: cur non hoc attentius, diligentiusve fiat? Nonne id etiam propterea, quia anni in filio non interpellantur: in filia, vel ante diem? Filius, ut moretur paternam valetudinem, fit eo tanto maturior, dignior, ac modeſtior. Quid? virtutes non minus domi

domi ſunt, quam in foro neceſſariæ, ut olim à Catone dicebatur? At filia, morâ & expectatione depravatur. Id præclare Phalaris ad Cleænetam. Is, propter rationem quam diximus, jubet ne differat filiam viginti annorum collocare viro, quod pater Philodamus abeſſet. Longius eum navigaſſe, quam ut ſine ætatis detrimento poſſet expectari à puella. De filio, contra cenſuiſſet. Sequitur itaque, quod Moſes prohibuit in filia, prohibuiſſe in filio multo magis.

Sed expectas, imo exploras (ut opinor) qui deſcendam ad Chriſtianiſmum. Bene eſt: huc noſtra omnia & tendi & dirigi oportet. Religio Chriſtiana (inquies) aliter ſtatuit de pietate & obedientia quam mihi debebas à Natura. Videamus igitur an Chriſtus propterea venerit ut eam deſtrueret, non perficeret: ut bonos mores, & quod ſua ſponte honeſtum eſt, violaret, con-

funderet : ut præcepta Dei patris abrogando , liberis contumaciæ ac deſpicientiæ auctor eſſet : an denique ita ſit imputatus , ut abolere neceſſitatum nomina , collidere pietatis affectus, chariſſimorum pignorum diſſidia credatur mandaviſſe, ut ait Ambroſius in Lucam ? Initium faciamus ab eo ipſo : poſtea veniemus ad Eccleſiam : in qua ſi Theologi veſtri puriores aliquid habent quod ſit profecto ſubtilius : obtineat ſane. Nam etſi Chriſtiani ſumus omnes, non tamen omnes Fidei interpretes ſumus. Ergo myſticotera ad Theologos : nos hîc , quæ trita ac ſimplicia. Erat annorum quindecim, cum aſcendit Hieroſolymam , Maria ac Joſepho comitantibus , deſeruit abeuntes. Itaque reverſi ut eum diſquirerent , tandem poſt triduum invenere in templo ſendentem cum Doctoribus. Huic Maria: *Cur ita feciſti nobis ? dolentes quærebamus te*. Reſpondit ſubóſcure, veruntamen (ni fallor) non minus appo-

appoſite ad eorum ſublevandam moleſtiam, quam ut de mea forte exiſtimas: videlicet, *Juſtius eſte obedire Deo, quam hominibus.* Attamen deſcendit, rediitque cum parentibus, venit Nazareth, ac fuit ſubditus illis, inquit Lucas in Evangelio. An eos poſtea deſeruit unquam? minime: non uſque ad mortem. Sed Bernardum Abbatem ultra (quæſo) audiamus: Etſi Maria & Joſephus verba Chriſti intelligerent (veriſimile eſt enim feciſſe) quia ſic eos alloquebatur: *Nonne ſciebatis, quod in his quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?* Attamen non acquievere, inquit Sermone 19. in Salomonem: voluêre etiam obtemperare ſibi. Itaque quamlibet ætatem attigiſſet, eos deinceps perpetuo eſt ſequutus. Iam liberis: à quo melior formula obedientiæ ac pietatis in parentes, quam à Chriſto? Diſce (inquit Ambroſius, in hæc verba) quid parentibus tuis debeas, cum legis à patre filium, non volun-

tate, non opere, non tempore diſcrepare. Tu matri debes pudoris injuriam, virginitatis diſpendium, partus periculum, matri longa faſtidia, matri longa diſcrimina, cui miſeræ in ipſis votorum fructibus majus periculum eſt: & cum ediderit quod optavit, partu abſoluiter, non timore. Quid anxios patres loquar pro filiorum profectu, & multiplicatos alienis uſibus cenſus, jactaque ſemina poſterorum ætatibus profutura? Nonne pro his opſequia ſaltem oportere rependi? Idem de virginibus, lib. 1: Quam dulce pignus quod à periculo incipit, & in periculis deſinit: prius dolori futurum, quam voluptati. Non dedignatus eſt (inquit Bernardus ille) Magiſter ſequi diſcipulos: nō homines, Deus: non fabrum, non fœminam, verbum atque Sapientia ipſa. Et tamen Joſephus proprie non erat pater. Implet Jeſus voluntatem utriuſque, tam cœleſtis quam terreni patris: docetque manifeſto, nihil impedire quin ſimul coli

poſſint:

possint: atque ut istud pie ac rite fiat, non necesse esse pro altero alterum negligi. Certe ex hoc loco Justinus Martyr, quæstione 136. alios tractat sapientissime, ut omnia. Si parentes aspernari vetitum est divinis literis (inquit) & qui vetita fecerit, peccator appelletur: qui fit ut Dominus Iesus parentes suos pluribus locis aspernatus, dicatur nihilominus sine peccato esse? Nam in nuptiis matrem objurgavit, dicens, *Quid mihi & tibi mulier?* Item cum mater eum videre vellet: matrem & fratres eos appellavit, qui Dei voluntatem exequuntur. Præterea, cum beatus prædicaretur venter qui eum gestasset, & ubera quæ suxisset: ipse eos beatos appellavit, qui Dei voluntati obediunt. Quæ omnia putantur dicta esse ab eo in matris contumeliam, quod ejus matre nominata, & beata appellata; alii contra matri suæ oppositi, dicti sunt ab eo beati. Jam vero cum sanctissima virgo ad tanti operis mini-

miniſterium ſit electa, quî fit ut indigna haberetur quam beatam appellaret? Hîc Juſtinus ſic reſpondet: illud, *Quid mihi & tibi mulier?* non dictum eſt ad objurgationem: ſed veluti his verbis: Non is ſum, qui vini quod conſumitur in nuptiis, curam ſuſceperim: & tamen ſi exoptas ne deficiat: jube, miniſtri id faciant quod dixero, & ſenties vinum non defuturum. Quod certe accidit. Non itaque verbis objurgavit: qui re & factis matrem honoravit. In aliis, non ita locutus eſt Chriſtus, quaſi matrem privaret debito honore: ſed docuit quo jure virgo beata debeat dici. Nam ſi, qui Dei audit atque exequitur ſermonem, is Chriſti & frater, & ſoror & mater eſt: mater vero Chriſti habeat utrumque: perſpicuum eſt, Mariam hoc potiore jure beatam debuiſſe prædicari: Et quia Deus non quamlibet elegit quæ mater fieret Chriſti, imo omnium fœminarum virtutibus excellentiſſimam: propterea

rea

rea Christus volebat matrem suam prædicari ob eam virtutem, per quam id fuisset assecuta ut virgo fieret mater. Porro Christum nihil unquam fecisse in parentum contumaciam, aut ignominiam, testatur Lucas Evangelista, cum ait, Descendit cum Josepho & Maria Hierusalem, eratque iis obediens usque ad mortem: sic & Augustinus ea interpretatus, lib. de sancta virginitate, Jam Christus postquam cœpit ad populum agere, & ante omnia animadvertit Scribas & Pharisæos errare in præcepto quo de agimus: atque id ipsum retorquere in parentes, hoc colore, quod, pro debita pietate, aliquid aliud exercerent, agerent quod æque pium & sanctum esse existimabant: *Quare* (inquit) *transgredimini mandata Dei ob traditionem vestram? Dixit enim Dominus, Honora patrem tuum & matrem tuam.* atque iterum: *Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur, Vos contra*: *Quicunque dixit patri aut*

matri: Munus quod ex me est, proderit tibi, ne necesse ei sit amplius honorare patrem suum, aut matrem suam. Hypocritæ, Deum colitis in vanum, qui præcepta hominum præceptis Domini antefertis. Cur hoc Christus tam severe? an quia Pharisæi his muneribus, ac thesauro sacro (quem Corban appellabant) perdite abutebantur? oblationes quæ Templo destinabantur, sibi, atque adeo libidini applicabant, non Deo? minime. Notasset enim duntaxat luxuriam, & abusum. Sed reprehendit Sacerdotes, quod facta comparatione præceptorum: Sua, alioqui bona, Divinis anteferrent: & quod occasione pecuniæ quomodocumque sacra domestica, leges pietatis, & (quâ nulla est antiquior) obligationem naturalem violarent, contemnerent. Atqui hic aliquid etiam majus est. Nam primum præceptum quod obtendis, & quintum quod negligis: ambo sunt Divina: manant ab eodem auctore, atque Legislatore.

Ne-

Necesse est igitur, ut vel ea mutuo sese impediant: & (contra quam ut legibus) quod posterius est, abrogetur per id quod antecedit: vel utrumque debet omnino conservari, tam quod ad Deum pertinet, quam quod ad parentes. Certe, præceptorum quædam sunt immobilia, videlicet (inquit Hildebertus, epistolâ ultimâ) quæ lex æterna sanxit, & eâ observatâ, salutem conferunt: non observatâ, auferunt. Hujusmodi sunt (inquit ille Archiepiscopus Turonensis) *Diliges proximum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua. Et, proximum, sicut te ipsum. Et, Honora patrem tuum & matrem tuam* & si qua sunt similia. Alia, mobilia, quæ lex æterna non sanxit: sed posteriorum diligentia invenit ratione utilitatis, non ad salutem principaliter obtinendam, sed ad eam tutius inveniendam. Hujusmodi sit, esse Jesuitam. Cette tua in me obligatio, est perpetua & immobilis. Sed quid si hîc audemus dicere,

Deum ipſum minus ſollicitum fuiſſe cultus ſui quam parentum? itaque è duobus ſuis illis præceptis, poſterius quodammodo anteferri? Placebunt adhuc Phariſæi magis, quam Chriſtus? Deus, non ſine myſterio quodam, ſua enunciavit ſimpliciter: nec pœnâ, nec præmio impoſito, ſi ea homines vel obſervarent, vel contemnerent; Parentum, cum hac clauſula; UT SIS LONGÆVUS SUPER TERRAM. Nam etſi hinc liquido oſtenditur, Naturam non pati poſſe ut is vivat longius ſuper terram, qui eos à quibus vitam acceperit, negligit: utque ei bene ac beate ſit uſpiam, qui idcirco vult latere ne in illos gratus & officioſus habeatur, qui cum tanta cura ac moleſtia, quam ſibi vitalem animam dedere, foverunt ac ſuſtentarunt: eo tamen quod præcipue intendimus, apparet. Ait enim ſe ferri ac duci zelotypia, ſi quis honorat Deos falſos, & alienos. At ſi idem fecerit in parentes: tantum abeſt

qui

qui invideat, ut id jubeat, præcipiat maxime: & cum eo præmio jubeat, quo nullum est humano generi jucundius. Cur ea omnia tam obnixe? Quia cum Dii illi venerantur quos laudat, quos admittit, quos justos, legitimosque habet: commissum illis, imputat sibi. contra, omissum negligentiâ; ne si is veneretur maxime, non excusat. Sed & ea ratio est fortasse, quod (si ita loqui licet) Deus Opt. Max. non tam morosus in cultu ac veneratione est, quam quilibet nostrum. Satis ille, ut vult, observatur, si pro sexu, ætate, & qualitate singulorum eum unusquisque observet. Non facit enim Ecclesiastica dignitas Christianum, inquit Hieronymus: Alius in Ecclesia est oculus, alius, lingua: alius, manus: pes, aurisve alius est. Qua quis in vacatione fit, si in ea, ut potest, serviat Deo: Deo satis & abunde facit. A cunctis non exigit tantumdem. At in homine, secus est. Nisi ei filius ad

nutum pius atque officiosus sit: nisi ei pro arbitrio inserviat: contentus non est. Nec refert cujus conditionis sint utrique. pater etenim quisquis sit, eadem proportione pater est: & filius quicunque, æquo jure est filius. Itaque ut parentes sine exceptione veneremur: ultro quod id debemus sponte: HOC VOLO, HOC JUBEO inquit Dominus: ET PRO OPERE ISTO PRODUCO ANNOS, UT FIAT SEMPER. Quid igitur? Si Christus juste ac merito redarguit Judaïcos illos sacerdotes: potest tibi pium videri, patre ac filio Religionem unam profitentibus, filium se Collegio cuidam, Regulæ, aut Societati addicere, quæ, etsi licita & sancta est, est tamen hominum inventum: & hoc ipso patrẽ negligere & contemnere, quod Deus, quod Natura vetat? Eo dempto quod Deo potissimum debetur, cujusmodi adoratio, & invocatio est: quid præterea in Religione ipsa religiosius, diviniusque est, quam parentes honorare

rare ac colere? oblatio, res ſacra eſt. hāc tamen (ut videre eſt) Chriſtus poſtponit pietati, atque obedientiæ liberorum. Sanctum & religioſum eſt, vovere ſe Eccleſiæ, miniſterio, & obſequio fratrum. Paulus nihilominus, epiſt. 1. ad Timotheum mandat, UT VIDUÆ, QUÆ FILIOS, AUT NEPOTES HABENT, DISCANT, PRIMUM DOMUM PROPRIAM REGERE: QUÆ PARENTES, VICEM MUTUAM REDDERE: VALERE, ENIM ISTUD APUD DEUM. Certe, ſi quem illi miniſterio eligi oportet: is, cave eligendus eſt, qui in operibus bonis habeat teſtimonium. Hæc vero ſunt hujuſmodi: SI FILIOS (inquit) EDUCAVIT: & quæ ſequuntur. An Paulus id præſcriberet tam accurate, niſi, eo etiam auctore, quædam eſſent officia privata & domeſtica, quæ neceſſe eſt aliis omnibus anteponi, etiam ſacris, etiam publicis? Nam revera hæc ab

illis

illis proficiſci. Sane ubi de moribus quæſtio eſt, aut de naturalibus præceptis & inſtitutis: Chriſtiani non diſſentiunt à Paganis. Qui præter naturam vivit, Dei mandata non ſervat, ut Nilus ipſe ait, in inſtitutione ad Monachos. Et, ut Athenagoras in apologia pro Chriſtianis, Deus ad ea quæ præter naturam ſunt, neminem movet. Itaque nihil dictum eſt à Paulo, quod non prius eſſet à Socrate, apud Xenophontem: & quod non prius Athenienſes legibus nominatim cenſuiſſent. Si quis inofficioſus fuerit in parentes (inquit ille, lib 2. de factis & dictis Socratis) omnium magiſtratium ſit incapax. Nam qui rite faciet ſacra, qui juſte Rempubl. adminiſtrauerit, ſi impius domi eſt, ſi ingratus, atque propterea iniquus, injuriuſque in ſuos? Quod ad leges Athenienſium: hæc ſunt apud Æſchinem in Timarchum, & apud Plutarchum in eodem. Quid Paulus? Is, quaſi cum Socrate contenderet. SI QUIS

QUIS SUORUM, ET MAXIME DOMESTICORUM, CURAM NON HABEAT (inquit) FIDEM NEGAVIT, ET EST INFIDELI DETERIOR. Nunc vide quæ sit de te opposita conjectura. Necessario (inquient) erit obedientissimus Generali, Provinciali, Presbyteris, quia patrem magnifice contemsit: quia hunc strenue abdicavit ut extraneum, ut publicanum. En (pie fili) quam longe à via Domini divertisti, & quam à mandatis ejus alienus es? quæ tamen avis & proavis omnibus imo Christo, melius scire & callere existimas arroganter. NON EQUIDEM PATER ET MATER DEO COMPARANDI, SED CUM DEO DILIGENDI SUNT inquit Tertullianus adversus Gnosticos. Et lib. de pudicitia: DE LOCO, MODUM: DE ORDINE, STATUM: DE CONFINIO, MERITUM CUJUSQUE PRÆCEPTI COGNOSCES, (inquit.) ITAQUE QUI NON HO-

HONORAT PATREM SUUM ET MATREM SUAM, DETERIOR EST ADULTERO DETERIOR HOMICIDA, FURE AC LATRONE DETERIOR. Sed malo virtutes cum virtutibus, quam vitia cum vitiis comparare. Quid tam pium in Ecclesia, quam legata ad pias caussas? & tamen sic Augustinus: QUICUNQUE VULT EXHÆREDATO FILIO HÆREDEM FACERE ECCLESIAM, QUÆRAT ALTERUM QUI SUSCIPIAT. PROFECTO AUGUSTINUM NON INVENIET: IMO, DEO PROPITIO, INVENIET NEMINEM. Et in episto. 119. ad Ecdiciam, nonne eam reprehendit, quod inconsulto marito vovisset continentiam: & cum ei voto postea consensisset, quod contra illius voluntatem vestem Monachæ sumpsisset: & cum filium haberet, bona sua erogasset duobus pauperibus monachis? Quod non ita dicimus (inquit) ut si quisquam scandalisatus fuerit

fuerit de bonis operibus noſtris, ab eis deſiſtendum putemus: ſed quia, alia cauſa eſt alienarum, alia neceſſariarum in ſocietate aliqua perſonarum: alia fidelis, alia infidelis, alia parentum erga filios, alia filiorum erga parentes. Scribe itaque ad eum ſatisfactionem, petens veniam (inquit Ecdiciæ) quia in eum peccaſti, quod præter ejus conſilium & voluntatem, de rebus tuis feciſti quod faciendum putaſti: non ut te pœniteat tribuiſſe pauperibus: ſed eum tui boni operis participem & moderatorem habere noluiſſe. Nonne etiam memorabile eſt de Aurelio Carthaginenſi Epiſcopo, qui donationem, quam à patre orbo accepiſſet, reſtituit donatori cum ei liberi ſuperveniſſent? Nullo enim caſu veriſimile eſſe, ſibi malle quemquam hæredem alienum, quam filium. En longe alia judicia de pietate & officio, quam quæ & Phariſæi novi inculcant tibi: videlicet, neque ſacrificium, neque votum, ne-

que

que oblationem aliquam ei cultui anteferri quam liberis imperat Deus. Pergamus, videamusque, sumptis iterum exemplis à summo illo Deo & homine, an verum sit quod profitemini, ob Clericatum, aut Monachatum, omnem abjiciendam esse pietatem: frustraque ad ea munera capessenda desiderari consensum, judiciumque patris. Christus, quos vocavit ad se Apostolos, an vocavit, qui, ut tu, essent adolescentes? Et, si ut eum sequerentur, omisere naviculas, retia, atque opificia omnia: an ob id deservere etiam parentes? an si eos quoque utrum sine venia? Imo vero, qui mariti erant, an propterea repudiavêre uxores? liberos an propterea abdicarunt? Certe Jacobus ac Joannes cum discessere à patre, majores erant viginti quinque annis. Verum quo gnaviter discessisse viderentur: an Judæâ relictâ migravere in Italiam, in Lotharingiam, aut Hispaniam? An deinceps, quia Christiani, ora ab-

abhoruere patrum? abominanda eorum præſentia, allocutio, converſatio fuit? Plus feciſſent quam Magiſter eorum ac Dominus, qui (ut diximus) à Maria & Joſepho non divertit. Sed ut ſit tibi manifeſtum, eos patria & laribus non prius exceſſiſſe, quam, Chriſto paſſo, profecti ſunt per univerſum mundum: & quod nihilominus domi, & cum parentibus verſabantur, licet vocati ambularent cum Chriſto: ſcriptum eſt, Jeſum veniſſe in domum Petri, & Andreæ: ubi cum vidiſſet ſocrum eorum febricitantem, ſic eam ſanaſſe, ut ſtatim & ſibi & Apoſtolis miniſtraſſet. Itaque addici Chriſto, non erat divertere à ſuis, non à parentibus, non ab uxore, non à liberis & domeſticis. Imo vero Jacobus & Joannes, quamcunque ætatem attigiſſent, ita Jeſum ſunt ſecuti, ſi Zebedæus annuiſſet. Nam quia tum cum eo erant cum una proficiſci juſſit: neceſſe eſt Zebedæum verbo, aut taciturnitate conſenſiſſe. Enimvero in

in toto genere iſto vocationum, an putas omnes eſſe unius generis, ſive quæ à Deo fiunt nominatim, ſive quæ hîc in Eccleſia? Deus corda hominum cognoſcit, dirigit, immutat. Itaque non decipitur. At homines, eligendo conjiciunt: quare ſæpiſſime aberrant. Falli, ac decipi noſtrum eſt. Sola numina conſcia veri. Quid igitur? in his noſtris vocationibus ſumma eſt adhibenda diligentia, ſumma cautio, ſumma conjectura. Nihil debet ſolennium prætermitti: cujuſmodi eſt præcipue quod dicimus, votum & arbitrium parentum. Si tibi locum eum adducerem, in quo ſic Chriſtus ad Apoſtolos: SINITE PARVULOS VENIRE AD ME!: diceres illic agi de impuberibus. Revera enim eſt in Evangelio, qoud pueruli iſti offerebantur, non qoud ultro ad Jeſum venirent. Ideoque non pronunciat, VENITE AD ME: ſed, SINITE VENIRE. Et Rurſus, NE PROHIBUERITIS EOS: Ut doceret vocationem im-

impuberum, ſicut baptiſma, pendere à traditione, ac ſponſione patrum, tutorum & curatorum. Nam ſi eo amplius dictum eſt, NE VETATE ILLOS: non parentibus dictum eſt, ſed Diſcipulis qui increpabant offerentes. Hæc certe igitur de impuberibus. Sed quæ ſupra adduximus, ætatem non diſtinguunt. Scriptum eſt omnibus, PARENTES COLE. Scio, cum filius pervênit ad 25. annum, ratihabitionem patris, imo diſſimultionẽ, imo taciturnitatem (qualis Zebedæi) haberi pro conſẽſu. Sed is cuicuimodi ſit, debet intervenire: nec potes diſcedere à patre, aut matre tua, invitis illis. Quid? à parentibus? dico, à germanis & conſanguineis (nam Paulus generaliter loquitur de familia) quin in Deum pecces, fiasque reus impij animi ac infidelis. Verum (ut opinor) adducitur tibi in contrarium, quod cum quidam de diſcipulis petiiſſet à Domino, ut prius quam eum ſequeretur, permitteret ire, ac ſepelire patrem:

trem: Jeſus ait illi, SEQUERE ME, ET SINE MORTUOS SEPELIRE MORTUOS SUOS: atque inde ſic diſputant: Sepultura, res religioſa & ſacra eſt, maxime ſi patri fiat. At Chriſtus nihilominus vult magis vacari ſibi, quam ſepulturæ. Præterea: Laici pro mortuis habentur. Nam eſſe voluptatibus hujus ſeculi ſic involutos, ut qui inde non poſſunt enatare; merito pro ſubmerſis & extinctis habeantur. Hinc, VIDUA VIVENS IN DELITIIS, MORTUA EST. Clerici contra proprie vivunt. Nam pars ſunt & portiuncula Dei viventis. Itaque vere eum abſtinere à mortuis, qui, ut ſit Iſſec à Domini, hoc eſt (ut exiſtimant) Jeſuita, dimiſit patrem ſuum, & matrem ſuam. Argute: ſed ſolutio in promptu eſt. Non ſequitur inprimis, ut quicquid pronuntiatũ ſte de Chriſto, id ſtatim aut Clericis, aut Regularibus omnibus neceſſario conveniat. Tranſmiſſa eſt doctrina, non omnimoda poteſtas, inquit Tertullianus

nus

nus lib. de pudicitia. Et ſane, aliud eſt, Chriſtum amplecti: aliud, tot hodiernos monachos, etſi non differrent ab iis, de quibus Dorotheus olim. Deinde, defuncto patre illius diſcipuli, ceſſabat ea exacta reverentia, quam forte ille domino obtendebat. Certum erat, eum filium amplius non eſſe. Poſtremo jubebat Dominus, non ut ſepultura penitus ommitteretur, ſed ut procuraretur ab alio. A quocunque id fieret, *parentare* dicebatur: propterea quod qui ante nos deceſſerunt, hos omnes communi nomine aut patres, aut majores appellamus. Cauſa funeris publica eſt, inquit Papinianus. Unde & Juſtinianus, Novellâ 43. & 59. aperte indicat Conſtantinopoli ſumptus funerum ex publico fieri conſueviſſe. Cur igitur ad diſcipulum retardaſſet, quod per extraneum poterat obire? Sed tamen magna inter eos differentia eſt, qui impie, aut qui ſine fraude à liberis relinqui poſſunt. Proderit

derit iſta explicatio adverſus ea omnia argumenta quibus te profectò circumſcripsêre. Si mortui ſunt parentes, hoc eſt, ſi Judæi ſunt, ſi idololatræ, ſi pagani, ſi infideles: filius ex adverſo, ſi Chriſtianus eſt, ſi Catholicus: velitque pater hunc ſecum una ſepelire, id eſt, imperare ei Idololatriam: *Dimittito hunc patrem, & ſequere me* inquit Dominus: *hunc mortui mortuum ſepeliant.* Sic illa accipi ac intelligi oportet, vel ex Ambroſio, cum ait, Non revocatur ab officio patris filius: ſed fidelis à perfidi communione ſecernitur: vel ex Auguſtino, lib. ſingulari obſervationum in Mathæum: & lib. 1. ad Marcellianum de baptiſmo puerorum. Poteriſne igitur cuiquam perſuadere, ſolos Ieſuitas vitam ampliſſimam vivere? nos miſerrimos Chriſtianos, quia Laici, mortuis ac ſepultis imputari? Hieronymus ad Furiam longe aliter ſentit. Vivit (inquit) quicunque credit in Chriſtum. Et Tertullia-

tullianus, lib. de carne Christi, non propterea collocat Marcionem inter mortuos, quod non esset Monachus, aut Heremita: sed quia, cum hæreticus esset: non vere ac proprie erat Christianus. Atqui nos homuncioli patres, fideles etiam sumus: filii Dei etiam appellamur, etiam domestici, etiam fratres, etiam cohæredes Christi, etiam consortes Spiritus sancti. Sancti sunt omnes quotquot cum vita rectam fidem habent. Licet signa non faciant, licet dæmones non ejiciant, sancti sunt, inquit Hieronymus, homiliâ 59. Quod si eadem prætenditis, imo, si majora: nostrum est quoque beneficium. Nam cuilibet Christiano si petatur: *Cujus religionis es?* edocti à vobis, respondemus omnes: *Avitæ, paternæve.* Nullum sanctius erat juramentum, quam cum [PER FIDEM PARENTUM] jurabatur, inquit Philo, sententia accepta ab antiquissimo Philosopho. Non est igitur cur nos tantopere despicias: aut

 istud

iſtud tunc facito cum nihil morabimur præter ſepulturam. Habebis eo caſu, ſi non ſenſum, at verba Chriſti ad diſcipulum, cui dixit, ſequere me, cujus patrem jam ſciebat mortuum; inquit Ambr. ille hoc loco. At te præcipue fefellêre (ut opinor) hæc apud Mathæum: *Qui amat patrem aut matrem pluſquam me, non eſt me dignus.* Ac rurſus in Luca: *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & ſorores, imo & animam ſuam: non poteſt diſcipulus meus eſſe:* & alia hujuſmodi, quæ ſunt equidem magna & terribilia. Sed cum neceſſe ſit ea etiam valêre quæ attulimus in contrarium: debuiſti inferre, ne Deus ſibi ipſe contrarius eſſet, poſteriora hæc requirere explanationem. Quod patrem & liberos neceſſe ſit odiſſe, ut Chriſti quis diſcipulus fiat: cedo, quæ doctrina iſta, quæ religio eſſe diceretur, ſi verbis inhæreremus, non menti? Si, qui patrem odio proſequeretur,

queretur, bonus propterea eſſet diſcipulus: certe qui verberaret, dignus eſſet Patriarchatu: qui occideret, cathedrâ Apoſtolicâ. Vide quot monſtra, quot flagitia naſcerentur ex verbis, non male conceptis? ſed acceptis Sic Chryſoſtomus, homiliâ 36. in Mathæum: Non ſimpliciter juſſit te conjunctos tibi homines inſequi. Id enim iniquum eſſet, atque peſtiferum. Sed quanto plus me petit aliquis diligi, odio ipſum habeas, inquit. Fateor igitur magis debere amari Deum, quam parentes. Id eſt quod dicitur à Salomone, [*Ordinate in me caritatem,*] inquit Origines: quod ab Ambroſio, in Lucam: Si officium parentibus exhibendum eſt: quanto magis auctori parentum cui gratiam etiam pro parentibus tuis debes? Sed nego propterea ſequi: Ergo beatius eſt Franciſcanum eſſe, aut Jeſuitam, quam patrem diligere & colere. Religio enim Chriſtiana præcipue in fide conſiſtit: in illo, aut illo ordine non con-

ſiſtit. Quinimo hos ordines multæ Synodi non approbarunt. Et quamvis profeſſio Eccleſiaſtica ſit Laïcali perfectior: non ideo etiam ſequitur, filio, ne non ſit potius Presbyter, quam Laicus, non cavendam eſſe eo caſu contumaciam, inobedientiam, impietatem in parentes. Deus nec tibi, nec mihi præcepit ut ſimus Sacerdotes. Ut me honores, tibi præcipit omnino. Me violaſti ſciens? contraxiſti crimen, maledictionem, anathema: Sed eſſe Jeſuitam, res eſt indifferens. Potes eſſe Chriſtianus, & viam Chriſti, hoc eſt, viam vitæ ingredi: nec tamen eſſe Jeſuita. Non eſt igitur prætermittendum quod eſt neceſſitatis, ut fiat quod eſt voluntatis. Nam & ſic D. Thomas ſapienter: Quæſo, ſi ex duabus Chriſtum inſequendi viis, una eſſet tam plana, ut facile cum eo me amares: altera, tam petroſa, ut niſi me proculdubio odiſſes, tibi impoſſibile eſſet hunc amare: qua potiſſimum inſiſteres? Sed (ô fili) Mat-

thæus

thæus ac Lucas nimis dilucide ſcripſerunt, quam ut ex literulâ aliquâ impingeres in labyrinthum, atque inextricabiles ambages. Lege hos Euangeliſtas, & lege à capite ad calcem. Invenies efferri, quod ſi agitur de obeundo martyrio pro Chriſto (quod vocant *Bajulare crucem, & venire poſt ſe*, atque hæc duo ſint in trutina, & in pendenti, *Deum negare coram hominibus* (aut,) *patrem colere & amare.* Satius ſit profecto hunc odiſſe, imo & ſe, & animam ſuam, quam ſubvereri de Chriſto. Si ergo tibi voluiſſem perſuadere, ut abjurares baptiſma quod iniiſti meis auſpiciis, & in quo potui tibi eſſe Epiſcopus: ſi ut projiceres eam precioſiſſimam margaritã, quam Joannes Apoſtolus ei dederat qui Deum lupum oſtendiſſet, cui ſingulis annis 12. pueri ſacrificabantur: aut ſi tibi voluiſſem perſuadere, ut ſpreto Chriſtianiſmo: placeret tibi Mahometes, placerent ἄθεοι, placerent hæreſes (ne dicas cum

Salviano, nos existimare tempus aliquod esse, quo Deo aliquid debeat præferri) posses auctoritate illius scripturæ, mihi his casibus detrectare obedientiam, & honorem. Posses Victoriam matronam (de quibus victor Episcopus lib. 1. de persec. Vandalica) qui maluere distrahi à filiis, separari à conjuge, auferri sibi substantiam, quam eorum persuasione effici Arrianos. Posses eo casu sine patre & matre esse, ut Melchisedech, qui propterea dictus est carere utroque, quod pius genitus esset ex impiis & injustis, Chananæis videlicet. Paganis, patria nimis chara, & totus affectus est in parentes. Nos (inquit Pontius Diaconus Cypriani) & parentes ipsos, si contra Deum suaserint, abhorremus. Sed, nobis ambo Christianis & Catholicis, quis præ me in te debuit quicquam? Quem odisse jus est, quem spernere, quem violare: cui istud Leviticum opponi, *Ignoro nescio vos*: is est qui te adscriberet Diis alienis,

aut

aut qui vitulo conflativi devoveret, juxta illud Mosis, *Sit manus tua super eos, & effunde sanguinem ipsorum, qui te volunt à veritate depravare.* Quo loco tamen annotabis, & ex cap. 32. Exodi: quod Moses, licet illo casu approbaverit parricidium: id explicavit in uxore, in filio, in fatre, in sorore, in propinquo & amico: de patre, ne verbum quidem. Ita ejus sancta appellatio est, ita veneranda, ita inviolabilis: in patrem nihil jure licet. Lege epistolam Mosis, Maximi, Nicostrati, Rufini, & aliorum confessorum (quæ est 77.) ad Cyprianum: invenies verba illa Christi sic accipi, sed & Chrysostomum, qui, homiliâ 65. in Mathæum, ubi ea interpretatur, sic scribere: mihi autem persecutiones hîc occultius significare videtur. Multi enim à parentibus filij, multi mariti ab uxoribus ad impietatem trahebantur: quæ cum facere conabuntur, ait, nec uxoris loco, nec parentis habeantur. Et qui

ſcripſit in eundem, homilia 27. Non eſt credibile (inquit) ut Deus jubeat corporaliter relinquere patrem, qui dixit, *Honora patrem tuum & matrem tuam.* Si ergo habes patrem infidelem, obſequere ei: & tu invenies mercedem pietatis: & ipſe infidelitatis ſuæ habebit damnationem ſuam. Et ideo non dixit, *Qui diligit patrem, non eſt me dignus. Sed, Qui diligit patrem aut matrem ſuam pluſquam me, non eſt me dignus.* Sicut enim poſt Deum diligere parentes, pietas eſt: ſic, plus quam Deum, impietas. Si ergo (iterum ait) habes patrem infidelem, obſequere ei. Si autem voluerit te in eandem foveam infidelitatis immergere, in qua ipſe eſt: plus dilige Deum, quam patrem, quia pater non eſt animæ, ſed carnis. Utcunque tamen, non jubet corporaliter filium hoc caſu ſeparari à patre, ſed fide duntaxat. Lege quomodo eadem verba quæ ſunt in lege, *Qui dixerit patri aut matri, non novimus vos: iſti cuſtodierunt*

dierunt mandatum meum, ait Dominus: quomodo (inquit Philoſtratus, Epiſcopus Brixienſis (qui fuit ante Auguſtinum) interpretetur, lib. de hæreſibus: Non genituram parentum audiendam utique: ſed impietatem eorum paganam ſpernendam, atque damnandam eſſe, modis omnibus collaudabat, inquit. Sic & Salonius, Epiſcopus Viennenſis, in Eccleſiaſtem: pro Chriſti profeſſione (inquit) contemnere ſimul, & odiſſe debemus patrem & matrem, omneſque propinquos, ſi nobis in via Domini fuerint contrarii, ſicut ſancti Martyres ſæpe fuiſſe leguntur. Unde ipſe Auguſtinus in ſermonibus: videntur his verbis Domini (inquit) exhortata martyria, denique Jeſus ipſe moriens (inquit) Arnoldus Abbas,) ut per omnia pietatis fœdera commendaret antiquum decretum quod de honorandis parentibus dictaverit: obſervavit, dicens Joanni, *Mulier, ecce filius tuus*: & ad diſcipulũ:[*Ecce mater tua.*]

Cæterum, quod Joannes sic senserit, ut supra narrat Prochirus, cap. 21. Cum baptisasset Chrysippam in Pathmo insula: & propterea a marito infideli vellet discedere: Joannem dixisse, Nequaquam id tibi permissum est, inquit. Nam neque jussit, neque misit me Deus separare uxorem à viro suo, neque virum ab uxore. Revertere itaque cum pace in domum tuam. Si licet divertere à marito; non expedit, inquit Augustinus, lib. de adulterinis conjugiis, ad Pollentium. Quod si hodie martyria non sunt: Gregorius Magnus, homilia 37. de diversis Evangelii lectionibus, interpretatur hunc locum de carnalibus desideriis. Tunc etenim (inquit) bene nostram animam odimus, cum ejus carnalibus desideriis non acquiescimus, ejus appetitum frangimus, ejus voluptatibus reluctamur. Atqui (ut ea de re postea) tibi(ô fili) Jesuitæ identidem insusurrant. Satius est calcari, conterive patrem, quam cucullum amisisse.

Cædo

Cædo imprimis an Joannes ille Chrysostomus ignorabat quo sensû essent accipienda quæ ex Luca & Matthæo adducta sunt (hîc convertimur ad Ecclesiam) cum lib. primo de Sacerdotio, narrat de se ipso (narrat & Leo imperator, in oratione encomiastica, de eodem) post peracta studia Athenis, revertisse Antiochiam, atque ibi crebris admonitionibus Basilii Magni (neque enim Simeon Metaphrastes existimat hunc esse, qui magnus cognominatus est) vitam monasticam concupisse. Obstitisse diu, non ætatem immaturam (nam major erat viginti quinque annis, & jam foro operam dabat) non patrem (nam excesserat è vivis) non frequentes socios & amicos (nam Basilius erat ei vice omniũ) quid igitur? unam materculam. Nam ubi ea ad me his verbis: Florebam etiamnum pulchritudine, & annis, cum fastidiêre secunda-vota, ut tibi infantulo magis ac magis sufficerem, atque ut instituendo & promovendo, tibi

largiora essent omnia. Nunc pro ea gratiarum actione, & pro eo solatio quod tot beneficia expostulant: me deserere in animo est, me spernere, & despicere? me injicere in secundam viduitatem? exsuscitare luctum jam sopitum? An te aliqua defui, aut nocui tibi? si vis monachari, cur id ante maternos cineres? ubi apud te vox Domini clamantis, *Fili, colito Anthusam?* Pulchre Deo obtemperat, qui tristis est parenti. Etsi mihi omnia præstiteris, non reddidisti dolores, non cruciatus, quos pro te passa sum: non reddidisti obsequia quibus te gestavi: non reddidisti alimenta quæ tribui, vero pietatis affectu immulgens labris tuis ubera: non reddidisti famem, quam pro te toleravi, ne quid quod tibi noxium esset ederem, ne quid quod lacti noceret, hauritem. Tibi jejunavi, tibi manducavi, tibi quem volui cibum non accepi, tibi quem nolui cibum sumpsi: tibi vigilavi, tibi flevi, & tu me deseris? *Cessi* in-

(inquit) *victus reverentiâ in matrem.* Itaque Basilio se excusat, & nihil impedientibus illis capitulis quæ tibi objiciunt importune: maluit adhærere matri, quam Monasterio. Is ipse scribens ad Basilium, sic loquitur: Promissis non steti, fateor, quippe jam inde ab Athenis, illiusque loci amicitiâ & amicorum connexione, facturum me receperam, ut tecum vitæ consuetudinem haberem, simulque philosopharer. Fidem autem fefelli, haud sponte ac libenter, verum quod lex legem superarit: ea nimirum quæ parentes jubet colere sodalitatis ac familiaritatis legem. Conferas te nunc cum Chrysostomo. Vix adolescens cogitasti de Iesuismo: nec patre carebas tuo (nisi eo carere est, qui charus non sit) nec matre etiam humanissima: Quid igitur? Ne vel auctoritas illius, vel caritas, pietasque hujus te dimoveret, quo quicquam in ea te auderes sine licentia utriusque, sine eorum bona gratia, ac consilio: vitasti

vitasti naturalem aspectum: migrasti, atque per triennium jam te subduxisti eâ indignitate & arrogantiâ, ut eo toto intervallo nec scripseris, nec nunciaveris quicquam quo saltem intelligeremus ubi esses: in Galliane hac miserrima, an in Lotharingia, aut Hispania. Verebaris (opinor) ne quam Hortensiam appellabas, ea hoc modo te compellaret: Patri (quod abominor) si quid humanitus accideret: quale mihi subsidium esset à fraterculis? ætas enim non suppetit. Præterea quâ fiduciâ, cum exemplum habeant tuum? O, quam Deum Opt. Maxim. devinxisti, qui ut ei præcipue inservires ita ab omni jure & officio descivisti, ita à recto & honesto, ut nihil volueris amplius tibi commune esse cum parentibus, imo ne officium quidem epistolarum. Si hoc propterea sane quia attentiores sunt sanguini: attamen sunt fideles. Si quia plus superstitiosi, quam conveniat Christianis, metu tui accidit, non Christi.
Me-

Merito certe recuſabat illa bona Veturia legari ad Martium. Quid enim (ajebat) obtinebo, quid Valeria, quid nepotes, cum par quadriennium, quo ejectus eſt, nullâ literulâ nos convenerit? tam ſit familiæ oblitus, quam civitatis, à qua damnatus eſt indigne ac injuſte? Legationem tamen obiit, vicitque (ut diximus) ſolo nomine obſtinationem filii. Utrum religioſior es Chryſoſtomo, aut Coriolano ſubdurior? hic matri obviam venit: tu contra à tua abſtines, neque aliud quicquam tantopere evitas. Cur ſaltem non reſcribis ſine die & Conſule? Profecto ſi iſta ageres, Baſilio auctore, fortaſſe eſſet, ob tantum virum, quopiam obumbrares impietatem. Sed vereor à tantis Patribus quicquam habeamus huc uſque præter longum & inane nomen. Melius eſt igitur ſi veteribus exemplis tecum iterum agamus. Quod Chryſoſtomus ipſe libros ſcripſit *adverſus vituperatores vitæ monaſticæ*, in quibus patres exhortatur,

tatur, ut curent filios huic philoſophiæ potius erudiri, quam eloquentiæ, aut militiæ: facit quidem profecto, ut vitam hanc alteri præponat: conſulatque parentibus, filios ſuos mage huic vitæ dedere, quam ſæculo. Non autem ut auctor ſit filiis, parentibus non obedire, utque iis invitis relinquant civitates: montes: heremoſque habitent. Quinimo jubet ut poſt certum tempus Chriſtiane conditi, redeant in paternam domum. Unde apparet, Monachos tunc perpetuos non fuiſſe, neque in continuo voto, ut nunc ſunt. Præterea, vide eundem Chryſoſtomum, in libris de providentiâ: ibi animadvertes, quantus ſit in conſolando Stagirium monachum, qui propterea à dæmone vexabatur, quod adverſus conſilium patris ſe dediſſet vitæ monaſticæ, & quem ideo monachum obreptitium appellat. Atqui Stagirius erat major natu: neque parens prohibuerat hoc vitæ genus. Dederat ſolummodo conſilium

filium in contrarium. Ipſe Auguſtinus, ipſe Ambroſius, lib. 1. de virginibus ad finem, certe quidem oſtendit, parentes non debere impedire ne filia ſe voveat Eccleſiæ: ſed quod ad patrem attinet, poſſe eum, ſi velit, huic rei afferre impedimentum. Et Auguſtinus, in illa epiſtola 109. 110. ad Ecdiciam, nonne aperte ait, factam ab eo donationem in necem filii, propterea eſſe inconſultam, quod pater ignoraret quid filius, cum cœpiſſet eſſe grandiuſculæ ætatis, ſectaturus eſſet, utrum monachi profeſſionem, an Eccleſiaſticum miniſterium, an conjugalis neceſſitudinis vinculum? Itaque dum ad eam ætatem perveniret, neceſſariam fuiſſe oblationem patris. Certe ſic concludit epiſtolam: Filium autem veſtrum, quoniam de legitimis eum & honeſtis nuptiis ſuſcepiſti magis in patris quam in tua eſſe poteſtate quis neſciat? Ideoque ei negari non poteſt ubicunque illum eſſe cognoverit, & jure popoſ-

cerit. Idem, epiſtolâ 233. ad Benenatum: nonne de puella, quam ajebant velle eſſe Sanctimonialem, ſic ſcribit: ſe de ea re cum Felice viro ejus materteræ conſuluiſſe, neque enim ſe aliter potuiſſe, vel debuiſſe. De matre, quid feciſſet, cujus voluntatem (inquit) in tradenda filia, Natura omnibus præponit? Certe ſi tantum jus tribuit matri, quid patri tribuiſſet? ne quidem ætatis rationem habuiſſet. Poſtremo, te appello, ô Salviane! An inſcius eras novæ iſtius Eccleſiaſticæ diſciplinæ, cum nihil agebas tam obnixe, quam ut Hepatius & Quiëta factum excuſarent Palladiæ tuæ, que iis inconſultis amplexa erat Chriſtianiſmum? imo tuum præcipue, qui poſt ſuſceptam Auſpiciolam, quanquam orationis ac continentiæ cauſâ, attamen ſine ſoceri auctoritate diſceſſeras à thoro? Cum tibi Palladiam ſpondebant, ſciebant collocari Chriſtiano. Quapropter ſatis conſenſiſſe videbantur, ut in Fide marito ea viciſſim

cissim conveniret. Imo & certum erat, quod paulo post divinum hoc vestrum matrimonium, tui illi uxor ii parentes sese similiter adscripserant Christo. Utcumque igitur merito moleste ferrent quod iis inconsultis egisses, suscepisses hæc omnia (nam tali divortio intercedente, quæ spes masculi deinceps? & in tanto negotio desiderari judicium parentum, que contumelia ac despicientia est?) si vetabant ne in conspectũ propterea venires, & si per septem annos utcunque eis creberrime scriberes, nihil tibi quicquam respondebant (omitto quod nupta non tam deinde ad patrem, quam ad maritum pertinet) num poteras illis audacter objicere, sic Deũm apprime diligi, si odio habeas patrem? At contra, lege illius epistolas. Quicquid ibi offenderis, sunt lacrymæ, sunt deprecationes, sunt veniæ expetitæ: *etsi* (inquit) *delictum nescio.* Tu quid? cessatio scribendi, tua est, non mea. Et qui vix excesseras ex ephebis, voves,

ves, me inconſulto, cœlibatum, non caſtitatem. Nam quiei ſufficias hac ætate? Nulla tacita voluntas excuſat tuam arrogantiam. Nam contra intercesſeram nominatim. Denique, quod defeciſti ad Jeſuitas, non a Paganiſmo defeciſti: ſed a communi Chriſtianorum. Cur igitur, potius quam Salvianus, veniam non imploras? *quia*, non ut ille, *deliƈtum noſti.* Quæſo, conſidera quam deliquiſſe ſe exiſtimaſſet Salvianus, ſi eos parentes violaſſet in quibus nihil erat amplius Idolorum: cum in eos qui adhuc pagani eſſent: & in parentes, non natura, ſed affinitate: ſic doleat commiſiſſe quod dolerent? cum exiſtimaret ſe Chriſtianum vere non videri, quod ſocerum, ſocrumque haud ita honoraſſet, ut jubet dominus patrem, hoc eſt, ſine diſtinƈtione, probus improbus ſit: Judæuſque, an Paganus: fidelis, aut infidelis? Legerat apud Ariſtæum, cum Rex Ptolomæus unum ex 72. interpretibus interrogaſſet, qui-

quibusnam modis genitoribus dignas referat gratias, respondisse, si nulla re illos tristitia affeceris. Legerat ultimum judicium, quo narratur a Sybilla, inter condemnatos eos recitari.

— Quive parentes
In senio linquunt, neque præmia digna rependunt.
Pro nutricatu: vel qui parere recusant.
Aspera vel contra dixerunt verba parentes.

Certe Faustus, Episcopus, lib. 1. de libero arbitrio, cap. 12. cum interpretatur ea verba: *Epulari & gaudere oportet, quia hic filius meus mortuus fuerat, & revixit: perierat, & inventus est*: perditionem illam interpretatur, quod discessisset a patre. Non in natura ejus fuerat (inquit) facta perditio, sed qui recedendo, contemptu mortuus fuerat, revixit, desiderio revertendi. Nam sicut sui criminis est, quod longe pii parentis refugit oculos: ita suæ est devotionis, quod per insitum sibi bonum, deliberans & adsurgens, ad paternos recurrit

currit amplexus. Ennim vero tempus est, ut ab exemplis transeamus ad constitutiones Ecclesiæ: ne forte objicias, quæ adduximus, esse singulorum. itaque in thesim nod valere. Nam etsi ingenue fateor, posse a filio relinqui patrem Idololatram, si vi eum truderet in Paganismum (ut est apud Theodoritum lib. 3. histeriæ Ecclesiasticæ, cap. 14. & 22. & apud Chrysostomum, lib. illo ii. adversus vituperatores vitæ monasticæ) vi deficiente, affero tibi cum Generales, tum Provinciales Synodos, quibus neque filio patrem, neque patri filium: non maritum uxori, non servo dominum fas est deserere hoc solo, quod in Religione dissentiant, aut quod præponant aliquid pietati: quibusve nec cucullo, nec pallio, nec cingulo extinguitur ea arctissima obligatio quam statim à Natura Dii omnis, hominesque pepigere invicem. Mos est barbarorum, mos hæreticorum (inquit Victor Episcopus lib. 1. de persecutione Vandalica)

dalica) maritos ab uxoribus, liberos à parentibus ſeparare, Eccleſiâ vero beneficio Valentiniani, Carthagini reſtitutâ Catholicis: continuo Epiſcopus ſtatuit, ut fœdera conjugalia manerent, & pignora genitoribus redderentur, quos Arriani diſtraxerant. Ergo incipiat à ſervo narratio. Is ſi voluiſſet deficere à domino, propterea quod Gentilis, Judæuſque eſſet: an non fauor libertatis, atque religionis potiſſimum, hunc excuſaſſet? Negat Canon Apoſtolorum: *Servi* (ita enim ſcriptum eſt, cap. 81.) *ſi in Clerum promoveantur citra dominorum voluntatem: hoc ipſum operatur redhibitionem. Si quando vero ſervus gradus ordinatione dignus videatur qualis & noſter Oneſimus apparuit: & domini conſenſerint, manuque emiſerint, & domo ſua ablegaverint: efficitor.* Negat Concilium Gangrenſe, quod anno 324. fuit, paulo poſt Nycenum. *Si quis ſervum alienum* (inquit) *occaſione Religionis, dominum ſuum*

ſuum contemnere, & ejus miniſterium deſtituere: ac non potius docuerit eum ſuo domino bona fide, ac cum honorificentia deſervire (ut libertus ſit Chriſti, inquit Ignatius) *anathema ſit.* Certum eſt, agi illic de ſeruis Gentilium. Et cum Religio nominatur, intelligi Chriſtianam. Sed & Concilio Aurelianenſi V. ſub Childeberto, plus continetur. Nam ultra quod ſecundum canonem prohibet ſervo ſe vovere Eccleſiæ inſcio domino: pœnam quoque imponit Epiſcopo, videlicet, ut ſex menſes abſtineat à Miſſa, ſi ſervum ſine voluntate domini ordinaverit. Certe quidem Juſtinianus, conſtitutione 123. domino ſtatuerat tempus intra quod ſervum repoſceret ab Eccleſia. At Leo 9 ut antea, voluit eſſe perpetuum. Sin putas aliud eſſe in Monachatu: eum enim ſacerdotio anteferri: Carolus Magnus aliter & ſenſit & conſtituit. *Ut ſervum alterius nemo* (inquit cap 20. & 72.) *ſollicitet ad Clericatum, aut Monochicum ordinem*

ordinem promovere, sine voluntate ac licentia domini sui. Id vetus observabat Ecclesia, non quia turpe esse existimaret, Deo dominorum servire servum nam par omnium conditio est apud Deum. Cur igitur? Audi Tertullianum contra Marcionem? *Quid enim* (inquit) *injustius, quid iniquius & improbius, quam servo alieno ita benefacere, ut domino eripiatur, ut alii vendicetur, ut adversus caput domini subornetur: &, quidem, quod indignius est, in ipsa adhuc domo domini, de ipsius adhuc horreis vivens, & sub ipsius adhuc plagis tremens?* Adversus uxorem alienam, servum, libertum, subditumve alterius, æque beneficio, atque injuria est abstinendum. Nullo enim modo hos quis pelliceat sibi, quin, quod peculiare est marito quod domino, quod patrono, quod principi iniquissime auferat fidem & amicitiam. Porro, quicunque est alieni juris: obediendo, vitam æternam consequitur:

calcitrando, divertit à Religione Christiana, quæ tota est in caritate & obedientia: nisi quid ei impium præcise imperarent, ut & homilia 35. Joannes Chrysostomus scribit, cum Pauli illa enarrat verba FILII, IN OMNIBUS OBEDITE. De uxore ita etiam Apostoli, cap. V. *Episcopus, aut Presbyter, aut Deaconus uxorem suam prætextu religionis non abjicito. Si abjicit: segregantor à communione: si perseverent, deponitor.* Idem canon in jure Pontificio transcriptus est hoc modo, dist. 28. *Si quis docuerit Sacerdotem, sub obtentu Religiones propriam uxorem contemnere, sit anathema.* Et patres in Gangrensi ilio Concilio: *Si quis descernit Presbyterum conjugatum, tanquam occasione nuptiarum quod offerre non debeat, & ab ejus oblatione ideo abstinet: anathema sit.* Et postea: *Si quis nuptias in accusationem induxeret, & mulierem fidelem ac religiosam cum viro suo dormientem, abominandam crediderit, aut etiam accusandam, tanquam non posse con-*

conjugatos in Regnum Dei ingredi: anathema sit. Quid ais? an non statui his legibus, tam esse extra Ecclesiam quæ prætextu continentiæ se segregat à marito, & thalamo abstinet, quam qui laudant hujusmodi castitates, & se abstinentes vocitando, Societatem tam divinam vilipendunt, ac deprimunt? Quod ad patres ac liberos attinet, mutua eorum obligatio est. Itaque in parentes hæc ea Synodus imprimis: *Si quis reliquerit proprios filios, & non eos aluerit: &, quod pietatis est, necessaria non præbuerit, sed sub obtentu continentiæ negligendos putaverit: anathema sit.* Non commisi erga te quod à Patribus hîc improbatur: nec quæ omnium maxima negligentia vocatur à Ptolomæo. Alui, extuli, instituì: &, si quicquam est in Græcis, Latinisque quo quis erudiri ingenue possit: quæ liberum scire æquum est adolescentem: præ summa in te benevolentia ac pietate, mutua mihi cum Jano Ærodio, Præside, patruo tuo,

concertatio fuit, ne quid tibi deficeret ad eam rem tam præclaram: ut cui vitæ, conditioni te nacti essemus aptiorem, huic (ex vetere more Atheniensium, ut Eudoxio Rhetori scribit Nazianzenus) dederêre nostro arbitrio: aut tuo tandem, si, major factus, nos humanitus amisisses. Hujus beneficii ergo deseruisti etiam insalutatos. Est quidem certe in epistolis Hieronymi, Paulam & urbem, & liberos reliquisse, excepta Eustochia, quam Bethleem deduxit quo proficiscebatur, ut solitarie viveret. Sed erant omnes majores natu, præter Toxotium: cui, & puberi Rufinæ legavit sua omnia, ac tutores dedit. Et apud Paulinum, epistola 10. ad Severum, laudatur Melania, quæ vidua, & mater unius filioli, eo relicto navigavit Hierosolymam, atque ibi vitæ perfectiori se dedidit. At eum ditissimum reliquit, atque omnium principum Romanorum consanguineum. Verum, quod ad te attinet, audi nunc

nunc quæ tua damnatio ſit futura: & cogita à quo abſolutionem impetrabis ſententiæ tanti anathematis, cui te procul dubio ſubjicit eadem illa Synodus quam diximus: *Si qui filii* (inquit canon 16.) *parentes, maxime fideles deſeruerint, occaſione Dei cultus hoc juſtum eſſe judicantes: nec potius debitum honorem parentibus reddiderint, ut hoc ipſum in iis veneretur quod fideles ſunt: anathema ſit.* Obſecro: num celavêre tibi hoc Concilium? Credo equidem. Nunquam eſſe ita depravato animo, ut filius, tuâ ſententia, plus poſſet adverſus patrem, quam ſervus adverſus dominum, utque tibi videretur acerbiſſimum eſſe parenti crimen, *Non conſulere liberis*: iis contra, leve & contemnendum, *Si iniqui eſſent in parentem, inofficioſi, injurioſi & contumaces* Ecce, non diſtinguitur in hac Synodo, patres fideles, an infideles: liberi, puberes, an impuberes. Sed fortaſſe tibi inſuſurrant, Concilium illud, fuiſſe tempora-

ν, valuisse sua die: hodiernâ non valere. Huic solutioni ita respondeo: Patris longo intervallo approbarunt eam Synodum: videlicet, in V Generali Constantinopolitana. Deinde & Gratianus ipse. Nam cur eam transcripsisset in Collectaneis? postremo illa interpretatio ferri posset, si Gangrensi Concilio prohibebatur recedi duntaxat à parentibus qui pagani essent. Nam quia religio Gentilium tunc adhuc potentior erat: itaque procul dubio cavendum ne Christianam nimis fastidirent: fortasse eo tempore Ecclesia improbasset à fideli deseri infidelem, nisi aperte traheretur in cultum & sacrificium Idolorum. Sed liquido apparet, Synodum noluisse eo magis deseri parentes, si Christiani, fidelesque essent, cum ait, *ut liberi hoc ipsum in iis venerentur quod fideles sunt:* Ratio perpetua Christianis. Nam & nostro tempore Vigorens, ad id quod dicimus, citat hanc Synodum. Verum operæ pretium est me-

meminiſſe eo amplius cauſam & occaſionem Synodi. Non fuit, quod Pagani quererentur ſe deſeri ac negligi à liberis Chriſtianis. Fuit ex adverſo, quod Chriſtianos Chriſtiani relinquerent: atque id ipſum filii in eos committerent, quod tu nuper adverſum me: uno excepto, quod illi veteres veram vitam Monaſticam ambiebant; tu qualis ex nunc eſt, veſtiariam & verboſam. Quod illi veteres & mundum homini crucifigerent, & hominem mundo: Vos mundum duntaxat. Undè igitur illa vitioſa diſciplina; Cum primum fuêre in Eccleſia qui ſe dicerent Anachoretas, Eremitas aut Monachos: Euſtatius extitit, qui zelo quodam, ſed imprudenti, cepit perſonare verba illa ſpecioſa, *Chriſto indignos eſſe, qui eo patrem aut matrem plus amarent:* atque inferre ex illis, omnia eſſe comtemnenda, Lares, facultates, parentes, liberos, germanos, denique hunc mundum univerſum, quo beatius in ſolitudine

liceret esse, degereque sub norma aliquâ, aut societate sejuncta ab aliis: Videlicet, ne jam sufficeret esse Christianum, nisi Eustatienus esset præterea. Quid manabat de doctrina ista? ut uxor relinqueret maritum: dominum, servus: parentes suos liberi, & viceversa: ut Christiani facescerent matrimonium: universum id denique ad quod pro patria nati sumus: ut Religio, quod potest maxime, nempe continere omnes in officio: eos, in contrarium dissiparet, perverteret: denique ut merito dicerent Gentiles (inter hos Zozimus) *Christianos infructuosos esse in negotio*: quæ summa erat hominibus injuria, inquit Tertullianus in Apologetico. Respondebant nihilominus Eustathieni: relictionem, neglectumque hunc fieri *occasione Dei cultus*. At patres in Concilio damnavêre occasionem istam: edixereque universi, magis Christianum, religiosumque esse, parentes venerari & colere (præcipi etenim à Do-

Domino) quam, ut is viciſſim obſervetur, eos negligi: quod prohibet. Nam cum parentibus recte eum coli poſſe: ſine iis, infideliter, inquit Joannes ille. Ergo Euſtachius divertit ab inſtituto: & tandem Epiſcopus fuit in Eccleſia, non Monachus. Quod Concilii illius occaſio fuerit hujuſmodi, docet epiſtola Synodica, docent Socrates, Sozomenus, Iſidorus: ſed & Gratianus ipſe diſtinct. 16. & 30. Quid? tot & tantæ auctoritates tibi non ſufficiunt, poſt quam mea apud te jam nulla eſt? An iterum, iterumque putas, te, nec ſi permiſero, poſſe evadere in verum, legitimumque Jeſuitam? Fortaſſe in hoc luto adhuc etiam hæres. Videamus itaque quid ſit id quod tibi afferunt ex D. Hieronymo: & an Clauſtrina aliqua Theologia ſupervenit, novumve Evangelium, quo abrogata ſint vetera illa Eccleſiæ decreta, poſtquam hæc tam magnifice contemnis. Certe D. Hieronymus ſcribens ad

Heliodorum de laude vitæ solitariæ, usus est his verbis: *Licet parvulus ex collo pendeat nepos: licet sparso crine, & scissis vestibus, verba quibus te mater nutriverat ostendat: licet in limine pater jaceat: per calcatum perge patrem: siccis oculis ad vexillum crucis evola: Solum pietatis genus est, in hac re esse crudelem.* Sententia omnino magna, & eximii in Ecclesia Theologi. Sed prius quam dilucide ostendo, quo sensu enunciata est: Cum Hieronymus (ut videtur) sic capite diminuat parentes, & Naturam ipsam eo quasi prostituat modo: concilia mihi imprimis quod pro parentibus scripserat, in epistola de vitando suspecto contubernio: *Pater & mater*, nomina (inquit) sunt pietatis, officiorum vocabula, vincula Naturæ, secundaque post Deum fœderatio. *Non est laus si vos diligitis: scelus est si odistis. Dominus noster Jesus Christus subjectus erat parentibus suis. Venerabatur matrem, cujus ipse erat pater: colebat nutritium,*

quem

quem nutriverat: gestatumque se meminerat alterius utero, alterius brachiis. Dices, hunc locum in illo habere suam exceptionem: videlicet, ut pietas tunc omitti possit, negligi benevolentia & humanitas, cum stat filio familias convolare in Monasterium. Crudelitatem ea casu, misericordiam videri: incivile, honestum: contumaciam, fidem. Atqui ne existimes (ô fili) utcunque Hieronymus hæc speciosissime ad Heliodorum: si tamen ageret serio, allaturum ei consilium: ut quod denotant verba, re adimpleret in parentes. Absit ut Hieronymus parricidii auctor, suasorque esset: ut quare Æneas Pius appellatur:

> Illum ego per flamas, & mille sequentia tela.
> Eripui his humeris, medioque ex hoste recepi.

Contraria & opposita Christianus homo eandem appellationem assequi vellet, ut quocunque casu mallet Hieronymus Tulliam, quam Æneam

imitari ab Heliodoro, licet propterea ut eo nomine Regna omnia invaderet, quæ vel hîc sunt revera vel quæ esse apud mortuos Pagani imaginantur, ut qui sic evaserit in Monachum, hunc præferat Cleobidi & Bitoni: iis præferat quos Catanæi Pios appellarunt. Tantum certe abest ut verba illa Hieronymi, in tantam crudelitatem, tantumque nefas trahi ac converti possint: ut cum Hieronymus hæc Heliodoro diceret, nullus ei ex parentibus superstes esset. Habebat solummodo sororem, & ex ea Nepotianum, tunc infantem. Itaque non poterat esse, ut si parentes deserta Syriæ illi interdicerent? per calcatos, projectosque nihilominus ambularet. Quid vult igitur Hieronymus? Cum Heliodorus jamdiu militiæ vacasset, aliisque publicis negotiis: major factus atque orbus (ut diximus) terrena habuit pro dereiicto, unaque cum Hieronymo, qui junior erat, voverat vitam solitariam. Ac sane diverterant
in

in Monasterium, fuerantque diu in eo ambo, cum subiit Heliodoro desiderium visendi unicam sororem, atque ex ea filium. Illic certe animum mutat: mancipat se Ecclesiæ, & assumit Clericatum pro Monachatu. Tunc est proculdubio, cum ista ad eum Hieronymus de laude vitæ solitariæ: cum adolescens, ac pene puer (ut ait de se alio loco) cum recens ab Academia, his flosculis apud eum utitur: cum eâ militiâ seculari alludit ad Olympicam: & eos motus, eos affectus interponit, qui sæpe cum amicitia conjuncti sunt. Ea sane sunt hujusmodi, ut cum pro Christo Jesu castratio imperatur: cum excœcatio, si sint oculi in scandalum: cum derelictio & amissio bonorum, quasi sit impossibile locupleti intrare in Paradysum (qua de re Augustinus epistola 89. ad Hilarium) cum, non curare de crastino: cum jubetur, cui percussa est dextera, porrigere sinistram: aliaque id genus, quæ sine dubio inducerent hæreses, si

ad

ad literam, non ad ſpiritum trahe-rentur. Nonne de divitiis ſecularibus ſic ille ſcribit ad Bonifacium: Animum virilem & Chriſtianum, nec debent, ſi accedunt, extollere: nec debent frangere, ſi recedunt? Et Leontius, Epiſcopus Laodicenſis, quod re ſeſe ſecuiſſet, damnatus eſt in Eccleſia? Hinc & Anaſtaſius, Epiſcopus Nicenus, quæſtio. 73. & 79. Quid eſt, *Si oculus dexter, vel manus tua te ſcandaliſet: exſcinde eam abs te?* Non de membris corporis (inquit) hoc dixit Chriſtus. abſit, ſed de amicis & cognatis. Dei enim opus calumniatur qui ſe abſcindit. Et ille ipſe Hieronymus, nonne ſcripſit tam multa, & tam vehementer in commendationem pudicitiæ & cœlibatus, ut prope videretur damnare & improbare matrimonium? Et tamen certum eſt hoc proculdubio noluiſſe. Si ita eſſet, nempe ut ex animi ſententia perſuaderet Heliodoro citius per patrem proficiſci, quam privari eo
ſummo

ſummo bono, quod (ut videre eſt) collocas in Monachatu: quare huic Clericatum anteferret? Agnoſcit quas ſolutiones afferebat Heliodorus, in alio valere poſſe: in ſua cauſa non valere, qui, quia conceptis verbis profeſſus ſit vitam exercitatricem, nequeat ſine fraude revocare gradum, & tendere etiam ad majora, ut puta ad Presbyteratum. Deſcribit is quidem certe quam bene, ac beate vivatur in Monaſterio: contra, in Sæculo quam periculoſe ac procliviter ad tentationem. *Gaudebat* (inquit) *de aſcenſu: ſed timebat de lapſu.* Itaque non accuſat diſceſſionem Heliodori: imo, nec promotionem in Clerum. Neque amplius ei auctor eſt præciſe, ut à vita hac communi tranſeat ad Monaſticam. Sed quia ad eam jam antea defecerat, & rurſus (ut dicitur) faſtidierat cucullum: & quam una arripuerat, abjuraverat vitam: conatur Hieronymus validis iſtis argumentis, aut potius ſchematibus, retrahere eum in Mona-

Monasterium. Et quod ad ea attinet: *Qui amat Patrem & matrem plus quam me*: vide (quæso) num Heliodorus respondebat Hieronymo, locum ea habere, *Si de Martyrio ageretur*: & an Hieronymus huic solutioni recte satisfaciat. Ut ut sit tamen, ne quis aliquando orationi illi suæ, non tam veræ, quam eleganti, tenacius insisteret: & verba attenderet, non mentem: ad extremum ille ipse, tum cum provectior esset, epistola ad eundem Nepotianum, jam annis, jam virtute virum, sententiam mutat: & quæ olim proposuisset Heliodoro, fecisse ait, *cum laudaret pro ætate: & calentibus adhuc Rhetorum studiis ac doctrinis, quædam more scholastico depingeret*. Nam certe eo tempore manebat commigrandi in monasterium, remigrandique potestas. Et tunc frustra quærebatur, liceretne eam vitam sequi invitis parentibus, cum votorum nulla essent vincula: & si quem sui instituti pœnitentia cepisset:

ſet: nulla alia erat pœna quam nota inconſtantiæ. Patet ex epiſtola Auguſtini ad Bonifacium comitem. Nihil aliud tunc erat Monachi profeſſio, quam priſcæ, liberæque vitæ, ac pure Chriſtianæ meditatio. Hujus itaque prætextu, honeſtius licebat ab affinium & cognatorum vinculis ſeſe excutere. Itaque ne quis Hieronymum ſui inſtituti faciat authorem, ad quod illud nihil attinet. Conatus eſt quidem Hieronymus ſodales aliquot pellicere ad eandem vitam capeſſendam. Atqui nec ea quidem omnibus placuit; nedum Pammachio, qui ei fuit amiciſſimus. Hic enim vinculis conjugii maluit invehi. Unus Bonoſus ſecutus eſt Hieronymum, atque is certe contempta matre, fratre & ſororibus Monaſticam ſecutus eſt: ſed non contempto patre. Imo, quod attinet ad Hieronymum: poſt deſertum, Romam rediit. De hoc uno hæſitat Auguſtinus, epiſtola 76. ad Aurelium, An qui ſponte receſſerant à Monaſterio,

rio, recipi deberent in numerum Clericorum. Perpende nunc igitur apud te, si locus ille Hieronymi te excusat: te, qui minor es etiamnum viginti quinque annis: te, qui & patrem & matrem habes: te, qui nihil prævoveras Jesuitas: te, qui non agebatur de evitando Paganismo, neque de persecutione fugienda: te denique, non cui obeundæ essent vastæ solitudines, sed si quæ sunt omnium Gentium sedes, urbesve elegantiores & amœniores: cui solitudo, pro carcere: oppidum, pro Paradiso. Sane cuicuimodi fuit oratio D. Hieronymi: quacunque eam scripserit ætate: si nomen tanti viri te movit nihilominus, cur non movit ex adverso Heliodori exemplum (nam & sic eum Hieronymus appellat) cur non etiam Læti (si quæ extat ad eum epistola, est Augustini) qui major, & despectam Rempubl. repetiit tamen tædio omissæ matris? Cur non Joannis illius Chrysostomi, de quo ante? Non fuere minus sancti pro-

propterea, non minus Chriſtiani, non minus fideles. Nullum ad pietatem eſt obſtaculum. Nulli nuptias prætexent, nulli filios, nulli militiam, nulli negotiationem, nulli artificium, nulli ſervitutem, nulli divitias, nulli inopiam, inquit Chryſoſtomus ille, in homilia de nuptiis. Poteſt & urbem habitans, monachorum ſapientiam imitari: poteſt & uxorem habens, & converſans domi, orare, jejunare & compungi, ut is ipſe ait alio loco. Sed ne objicias, utcunque illa celeberrima exempla ſolius eſſe primitivæ Eccleſiæ, in qua facta comparatione Paganiſmi, cum Chriſtianiſmo: cum religione, pietatis, de iſto contemptu agebatur: producam tempore Bernardi Abbatis: atque etiam poſtremo, ne ſit quo tantillum hæſites, ſatisfaciam Juſtiniano Principi? cujus conſtitutione ſunt qui exiſtiment tribui liberis, ut ſine conſenſu patrum ſeſe applicent Eccleſiæ: quo cunctis accurate perſpectis, tute ipſe ſententiam

tentiam feras: Quod commiſiſti adverſus me, rectumne ſit, an ingratum. Hic res eſt inter Catholicos, imo inter Monachos, quod auguſtius eſt omnino. Beato illi Abbati fuerat nepos, nomine Robertus, quem pater in juvenili ætate deſtinaverat Monaſterio Cluniacenſi. Sed eo mortuo ante oblationem, Robertus ſociaverat ſeſe Ciſtercienſibus: & Bernardus ipſe eum illic adoptaverat. Paulo poſt monachi quidam Cluniacenſes circumvenêre adoleſcentem, & ex illo Monaſterio tranſtulêre in ſuum. Hinc controverſia inter Regulares. Barnardus primum accuſabat hoc quaſi lenocinium: videlicet, quod ad eam rem & dolum, & blanditias, & machinationem attuliſſent. Nam qui ſeducerent nepotem, tentaſſe inprimis per Novitium quendam: poſtea, per abſolutionem Monachum: poſtremo, per unum ex Prioribus ampliſſimis. Vim deinde accuſabat, quod violaſſent oſtiarios: atque ex Monaſterio, tan-

tanquam ex carcere, Robertum exemissent, Superioribus inscijs, inscio Abbate, avunculo inconsulto. Vide, obsecro, num in tua causa sit aliquid hujusmodi. Primo, quod vir quidam Confessorius: postea: suo ordine, Cubiculi Magister hoc insusurraverint tibi: Nullam vitam beatiorem esse Regulari. Tandem, Primarius, aut Provincialis Illustrissimus, inter Regulares eam vestram antecellere omnino: nam & cognominari ab ipso Jesu. Sed en quod præcipue allegabatur à Bernardo, & quod proculdubio vocationem atque inspirationem hanc, quam adeo extollitis, necesse est damnari ac rejici, *Petitio* (inquit) *quam Regula præcipit, non est pro eo facta à parentibus.* quasi diceret: Licet pater dum viveret, concupiuerit aliquando ut suus ille esset Cluniacensis: non tamen impleverat desiderium. Itaque quod communis Regula diserte exigit, ut qui vult Monasterium ingredi, offeratur à parentibus, & coram

coram testibus offeratur (id enim etiam continet) deest in professione vestra Cluniacensi. At in Cistercіensi, ideo non fuit necessarium, quia filius tunc temporis provectior erat, & erat sui juris. Cur igitur (exclamat Abbas) spoliastis me nepote? cur meo gaudio? cur fructu Spiritus? cur animæ dimidio meæ? Non poterat Salvari mecum? Te, ô nepos (inquit) fefellit sanctitas: seduxit religio: perdidit auctoritas seniorum. Enimvero, si bonus ille Abbas tam acerbe invehitur in Cluniacenses, ut lupos rapaces eos propterea appellet: quid mihi liceat adversus Jesuitas, qui viventi patri filium indigne auferunt, negant fraudulenter? *Forte miserti sunt tui*, ut Roberti Cluniacenses: forte damnatio imminebat moranti tibi cum parentibus, cum patruis, avunculis, amitis, cum fratribus & sororibus Christianis & Catholicis. Atqui, si hoc solum, Monasterium commutasse, tam erat periculosum huic nepoti,

poti, ut ea re poſſet animulam perdere (ita enim Bernardus ille) quid calcanti ac projicienti tibi non ſolum præcepta Dominica, ſed & decreta Patrum: præcipue vero tam tumide & arroganter? Sed quam ob cauſam? non ut fidem mutes, ſed veſtem? non ut Eccleſiam, ſed claſſem? Vide quid ad nos uſque Vigoreus ille ſcripſerit in Sermone de Martino, Nulla in re invenies diſſentientem à vetere illa & ſanctiſſima diſciplina. Sic ſcripſit: Fuit D. Martinus inter Cathecumenos, & illuminandos. Ac licet cum patre & matre, Ethnicis, moraretur: attamen omnia obibat quæ deſiderabantur à Chriſtiano. Neque enim lex Domini ſoluit obligationem filii adverſus patrem, ſervi adverſus dominum. Et ſane quidem Martinus non didicit ab Eccleſia rebellionem in parentes, imo obedientiam in omnibus, modo ne Deus offendatur. Ergo eâ reverentiâ Martinus obtinuit à parentibus, ut cui

va-

vacationi aptior esset, inspicerent sedulo, huic eum voverent. Neque enim ad filium pertinet, sine voluntate patris aut nubere, aut vitæ aliquod sortiri genus. Hic non addit exceptionem, *Nisi velit se dedere Monasterio.* Sed ne Justinianum omittamus: Sit ita sane, ut in ea fuerit sententia, Non sufficere ad exhæredationem, crimenve ingrati, vovisse Monasticam sine consensu patris: sequiturne, si noxa non est par parricidio, aut incestui: noxam attamen non esse? aut si locus exhæredationi non sit: rem propterea carere animadversione? aut si crimine, carere etiam vitio? Non poterat filius uxorem ducere sine consensu patris: & tamen si fecisset, non erat locus exhæredationi, nisi duxisset infamem. Itaque non peccabat ducendo uxorem sine consensu patris. Non sequitur. Jam affirmo imprimis quicquid Justinianus dixerit, senserit: omnes retro Imperatores contrarium sensisse: hoc est, illo casu admi-

admisisse exhæredationem. Unde hoc? quia is ipse profitetur, se in ea re emendare Jus antiquum. Atqui hoc affirmo quoque omnes illos Imperatores, ac potissimum Christianos plus simul habere auctotitatis, quam solum Justinianum, qui potuit perinde errare in traditione ista; ut erravit in divortio, & ut ab Euthicete non discensit. Verum enim vero certum est (& patet ex fine Constitutionis, ubi agitur de servis aspirantibus ad Christianismum) cum Justinianus sustulit exhæredationem quam diximus, cogitasse de liberis Gentilium, qui se sociando Clero, aut Monasterio, acquirebant emancipationem: ut servi, eo ipso, libertatem. Nam alias si scripsisset de omnibus omnium liberis, aut de liberis Christianorum duntaxat: nonne verisimile est eum distincturum, qua ætate essent qui invitis parentibus se Eccelesiæ, aut Monasterio mancipassent? videlicet ut si ante pubertatem, plenioresve annos: nulla esset

professio, si postea valeret, sine metu abdicationis? Quod igitur Justinianus ille constituit (Titulo nempe de Episcopis & Clericis) ita est, ut cum fides Christiana favorabilior esset Paganismo, propterea filii Paganorum, sive essent in potestate patrum, sive non, non minus hi absque exhæredatione (qualis est illa quæ extat apud Theodoretum, cap. illo 22.) fierent Ecclesiastici suo voto: quam servi infidelium liberi, cum nullo onere pretii restituendi ab Ecclesia, ut ante Justinianum cavebatur. (& certe etiam cavetur à Gregorio I. lib. 2. epistolâ 78. Si puella Christiana velit invito domino converti in monasterio) unde sic concludit: *hæc omnia pietatis intuitu nostra sanxit æternitas.* Quod si objicitur, tandem Justinianum, Novellâ 123. §. antepenult. Christianis jus idem dixisse: verisimile est visum eo tempore, fuisse durum quemquam exhæredari ob Monachatum, propterea quod qui huic vitæ se man-

mancipasset, non propterea erat Ecclesiastici ordinis vocabatur ad successionem: bona non amittebat, ut patet ex 239. epistolâ Augustini ad Alipium: & erat voluntatis (ut diximus) manere, aut discedere à monasterio. Sed postquam huic generi vitæ accessit votum paupertatis & castitatis: frustra parentes liberos exhæredassent, qui sese exhæredabant Monasterio. Nihil quicquam postea quærebatur, quam utrum, Professio valeret sine consensu patris. Displicent tibi hæc omnia & hæres in Justiniano potissimum? Oppono ei Concilium Constantinopolitanum sextum: oppono decretum illud maximum, quo utroque renovata est excommunicatio Gangrensis. Verum, uno verbo, oppono tibi extraneo Imperatori, cujus Constitutionibus non tenemur, optimos Principes nostros. Oppono statuta Gallicanæ Ecclesiæ: omnium consensum: postremo, res in Senatu judicatas. Carolus Magnus multa

conſtituit de Eccleſia, idque (ut refert Anſegiſus) adhibitis Epiſcopis, Proceribuſque omnibus. In his hæc non continentur, lib. 5. c. 95. *De pueris vero ſine voluntate parentum, ut tonſurentur, vel puellæ velentur, modis omnibus inhibitũ eſt: & qui hoc facere tentaverint, mulctam quæ in capitulis legis mundanæ à nobis conſtitutis continetur, perſolvere cogantur.* Mulcta illa eſt in lege Salica, tit. de iis qui pueros vel puellas occiderint, vel totonderint. Ubi ante omnia annotandum eſt, æque accipi, Si quis occiderit liberos noſtros, aut, ſi parentibus invitis copulaverit Monaſterio. Nonne eſt enim interficere, ſic agere in eos, ut jam parentibus pro extraneis habeantur? non ſint conſanguinei? non hæredes? ſit extincta propagatio? ſit adempta conſuetudo? ſit tanquam morte interdicta ipſa præſentia? Mihi antea videbatur, ſic avelli à ſuis, contineri ſolummodo Fabia lege. At magnus hic Imperator hoc attribuit etiam Corneliæ. Ergo

go quæ repræhensio, quæ accusatio est, tam sanctos, tam beatos, non solum Christo esse hypocritas: Ecclesiæ, anathema: plagiarios, legibus: Bernardo, lupos: verũ etiã Imperatori, homicidas? Cavete, ne hæc crimina vos eo adducant aliquando, ut propter simile quoddam parricidium ejiciamini hinc turpiter. Videamus quod superest: num aliquid sit hodie tale, quale illud Caroli Magni. Carolus 9. in Conventu Aurelianensi, articulo 19. sic constituit: *Ne parentes, tutores, consanguineique ulli, ullave liberis, pupillisque permittunto Monasticam profiteri, nisi si masculi annum attigerint 25. fœminæ, vicesimum. Si ante illa tempora ulla professio fiat: ita allecti, quicquid aliud olim legibus, moribusve obtineret, habeant testamenti factionem: modo ne quid in Monasterium conferant.* Hæc constitutio aliquid plus continet, quam Concilium Moguntinense, de quo Distinct. 16. & 20. Quæst. 7. & 3. cap. constituit. Nam quicunque ante

illam ætatem comam posuisset, censet dolo posuisse, atque in avaritiam Monachorum. Præterea, tantum abest ut permittat liberis ante illam ætatem se sine consensu patrum addicere Monasterio: ut parentibus, tutoribus, agnatis prohibeat hoc consentire. Quod si res judicatæ habent auctoritatem apud te: en judicium Senatus, ex Laicis & Ecclesiasticis conscripti, quod in tua causa actum est nominatim. Id ut nescires fortasse operam dederunt. *Quod Petrus Ærodius, Quæsitor Andegavensis, questus est de Renato adolescente, filio suo, quem Jesuitæ sollicitassent, subrepsissent. Rectore ac Primario Collegii Claromontani propterea introductis: ad rogationem Faji, Advocati Regii D.E.R.I.C. Placere Ærodio dari inquisitionem plagii* (nam si crimen non negassent, jussus esses exhiberi: tandiuque tuos esse in vinculis) *Interea Senatum prohibere ne quid in præjudicium fiat neve illum adolescentem Jesuitæ societati ad-*

admisceant sua, futurum alioqui fraudi. Id ne nesciant Collegæ, jubere per Claromontanos dici, rescribi suis. In Curia, 20. May, anno 1586. Fortasse etiam leges aliquando quid de re ista Blesis Gallici Ordines postulavere: & post fratrem quid ibi statuet Henricus III. Rex noster: Interim jussit renunciari de te Summo Pontifici, ut, quod bonis omnibus displiceret, id pro sua quoque potestate vellet corrigi & emendari. His omnibus vel rationibus; vel legibus, vel exemplis quid respondes? Si ob factum dolui tuum: aut si, ob eorum magis, quos certe auctores habes, quam tuum facione expers cujuscunque disciplinæ? an transversum me agit, ea perturbatio, qua Naturæ, qua carni, qūa sanguini plus tribuitur, quam par sit? Utrum vero ignorem quid sit in Religione pium, quid purum, quid præcipuum? Sentis (ut opinor) quod esse Ecclesiasticum, sive indifferens est, sive honestum per se: non debuisti in

ea re me despicere. Si indifferens, quia tunc obedientia necessaria est: si honestum, quia honestius est, annuente patre. Sane si nulli hodie reperirentur qui liberos Ecclesiæ offerrent: essetque nihilominus necessarium juniores ministrare in Ecclesia: tribuamus Religioni, ut qua vi, quove dolo captus, deceptusque es, sic possint filiifamilias aliquando rapi, abducique à parentibus. Sed tot Ecclesiis, Monasteriisve an deficiunt qui quotidie offerantur? At si, quicquid adfertur in contrarium, valet nihilominus votum parentibus invitis: saltem aliquid sit in eo quod pendeat ex eorum voluntate & arbitrio. Optent hoc aut illud Monasterium. Sit in hac obedientia Ecclesiastica, in quo pietatis illius antiquæ reverentiæve quam & Deus Opt. Max. & natura præscripserunt reliquiæ appareant tamen. Atqui tantum abest, ut liberi jure ullo possint relinquere parentes, quò adhærent Monasterio: ut qui impensius

ſius ſcripſere de laude vitæ ſolitariæ qualiter profecto Monachi) fateantur, hanc poſſe à liberis dimitti ac renuntiari voto, quo parentibus inſerviant. Hoc etenim votum altero omni majus, antiquiuſque eſſe, patet ex Gregorio illo Nazianzeno, qui revocatus à patre, quod litibus non ſufficeret quæ ei mortuo Cæſario, altero filio, obvenerant ex adminiſtratione publicorum: deſeruit monaſticam, & ad parentes continuo convolavit], ad Gregorium & ad Nonnam, amiſſa Gorgonia. Patet ex illo Heliodoro, qui & Eremum, & Hieronymum reliquit, ut ſubveniret, non patri, ſed (quod minus eſt) ſorori, nepotique quem diximus. Idem ſenſit Auguſtinus (ſeu quiſquis auctor eſt) ad Fratres in Eremo: nec vult ullum cogi poſſe ut redeat ad monaſterium, niſi patre ſuo defuncto. D. ille Hieronymus in epiſtola ad Fabiolam, loquitur de diſceſſione iſta, cum ait: *Quanti monachorum, dum patris, matriſque*

miſerentur, ſuas animas perdiderunt? quibus verbis non improbat diſceſſum, ſi fieret vere ob paternum obſequium: ſed ait, plures monachos, dum prætexunt tales excuſationes, vitam & animam perdere. Quamobrem, ut maxime fuiſſes Jeſuita me volente & conſentiente: poſſes hoc tempore ſejungi & diſtrahi à nobis? poſſes quavis in cellula, quovis in carcere (nam Bachiarius ſic monaſterium appellat) religioſe, in quo bella, aut potius latrocinia, ſine periculo audires, quæ Patriam hodie labefactant? poſſes non continuo advolare, ut omni ope, aſſiduitate, obſequio minueres illam moleſtiam quæ ex patriæ incendio, bonis præcipue, eſt maxima? Sed vi te detinent fortaſſe. Eſto hoc magis, quam ut te omnem humanitatem, omnem affectum, ingenuitatem omnem, & præſertim hoc tempore quo non agitur de Religione, ſed de Monarchia, exiſtimem amiſiſſe. Verum omiſſa præ-

prærogativa Antiquitatis, si lubet, Certemus quoque argumentis. Cum ita sit ut matrimonium pro Sacramento habeatur: & antiquiori quidem, si ordinem inspicimus; cur apud vos indigne sic tractatur? Nonne necesse est id, summo cum detrimento Reip. & Ecclesiæ, pollui, ac prætermitti, dum fructu spoliatur suo? dum pignoribus? dum dissolvitur eo nodo, quo, qui igne & aqua astringitur, qui mensa, qui thalamo, qui sponsionibus: non strictior ullus, arctiorq; est? Quis curet liberos alere & erudire, si postquam omni impensa ac solicitudine hoc factum est: alieni sunt, non sui? Si quasi directo quodam jure, aut (quod magis est) Tyrannide Sarracenâ, avelluntur a parentibus? Si simul ac conjuges nostræ pepererunt, sint liberi statim primi Monachi occupantis! *Qui patri eripit filium: educatori, àlumnum: domino, servum: Deo efficit impium, patri irreligiosum, educatori ingratum, domino nequam,* in-

inquit Tertullianus adversus Marcionem. Præterea, tollere obedientiam liberorum, atque reverentiam perdere: Naturā ipsam effodere est: est à fundamentis, a principio discutere omnem inter homines societatem. Obedientia (inquit Cyprianus lib. de abusibus sæculi) omnium disciplinarum mater est. Porro, tollit disciplinam, qui tollit paternam obedientiam. Et quoniam honoris ac conditionis æqualitas, pugnas ac dissidia plerumq; inducit: propterea Deus multos fecit Principatus, multasque subjectiones: ut pote viri & uxoris: filii & patris: senis & adolescentis, servi & liberi: Principis & subditi: præceptoris ac discipuli, inquit Chrysostomus, in epistolam ad Romanos. Qui tollit hos Principatus, tollit societatem. Necesse est denique is in impietatem, aut hæresim prolabatur qui parentibus inobediens est, ut a fidelibus & infidelibus unanimiter scriptum est: videlicet a Plutarcho, lib de fraterna amicitia & a Jesuita

ſuita quodam, de Britannica hæreſi. Sed eos ipſos melius eſt audire. *Nullus eſt* (inquit ille) *qui etſi, aliter tacitus ſentiat, non enunciet, prædicet tamen, primum locum reverentiæ, Diis: ſecundum, parentibus eo uſque eſſe a Natura tributum, ut Diis ipſis nihil tam gratum acceptumque ſit quam ſi liberi officioſe ac ſponte diſſolvant parentibus beneficiorum uſuras, qui nequeant ſortem. Nulla re tam argui contra ἄθεοι ne ſint quam ſi deſpiciant parentes, committantve quid adverſus eos vel tantillum. Ieſuita vero: Quid Anglos adoleſcentes tam cito hæreſi imbuit? deſierant eſſe honorifici in parentes.* Quaſi diceret, Mirum non eſſe ſi tam facile deficerent a paterna religione ac fide, cum ſemel contumaciam atque irreverentiam deguſtaſſent. Deus bone ſi ea admitti, laudarive poteſt: an debet, hodie præſertim, & hic apud nos, ubi jam nemo eſt qui non exiſtimat eſſe eo officio quo ſive DEO obnoxius eſt, ſive Principi, ſive Magiſtratibus, ſive Ma-

Majoribus universis? Atqui omnes istæ prærogativæ reperiuntur in parente: in filio, istæ obligationes omnes. Honestumne est igitur, ultrà protervia̅m, favere etiam illiberali animo & ingrato? *In novissimis diebus* (inquit Paulus ad Timotheum) *instabunt tempora periculosa. Erunt homines semetipsos amantes, blasphemi, parentibus inobedientes, ingrati, sine affectione.* Quod si denuo Religionem objicis: te si semel elegeris Monachatum, me deinceps magis veneraturum, & quod longe me amplius tenebis: dico obedientiam ex inobedientia nasci non posse. Præterea, qui color, Scholasticos Doctores, Scotum, Durandum, Aquinatem, Paludanum, Dominicum Sotonem, aliosque plures, tam sollicite disputare, an liberi infidelium possint baptisari invitis parentibus (Thomas ille omnino pernegat: asseritque Ecclesiam id nunquam permisisse: non Sylvestrum, Constantino Magno: non Theodosio, Ambrosium)

ſium) atque interea contra paterna vota, vota liberorum ſic approbari, ſuſcipi ſine controverſia? Sane ſi parentes ſint Chriſtiani: pronunciant uno ore, vi adigi poſſe ut eidem Religioni initient ſuos: hoſque amplius, ut eam ſane Fidem profiteantur quæ eſt civium univerſorum. Sed ſi qua ſit particularis Regula, aut ſocietas ſejuncta a communi: minime hoc quidem. Id enim eſſe voluntatis ut puta: ſufficere, ſi Chriſtum profitemur: Dominicum, aut Auguſtinum non neceſſe. Sed qui Judæus, Paganuſve eſſet: B. Thomas non ſolummodo negat debere attrahi ad Fidem, violentia, aut ſi minor ſit ætate, ut ad eam rem pro liberis conſentiant parentes: verum & Concilium Toletanum 4. cujus mentio eſt diſt. 45. Cap. de Judæis. & Gregorius Magnus, epiſtola 45. ad Virgilium & Theodorum. Epiſcopus (Galliarum) Si placet, liceat blande appellare, velitne quis magis in clauſtro eſſe, quam in Repub. Sed

vis,

vis, an adulatio eſt, poſtquam quoquo modo hæc extracta vox eſt, *Volo monachari*: te deinceps quaſi in ergaſtulo habere, aut te huc & illuc circunducere, agere, ne incidas in parentem, propinquumve ullum, qui (licet Chriſtianus) te à cogitatione illa dimoveat quæ obrepſit ante annos: aut, ſi jam ineunte adoleſcentia tunc obrepſit tamen, cum in eſt maxima imbecillitas conſilii, ut inquit Cicero? An alter es Hercules Prodici, cui cum pubertate prudentia obtigit? Utrum liberi noſtri ad Clerum, aut ad Monaſterium non aliâs converti poſſunt, quam ſi continuo, quaſi igne & aquâ interdicti ſint, hoc eſt, patris, matriſque communione & aſpectu? Eccleſia hoc non laudavit niſi in liberis Iudæorum, ne facti Chriſtiani ultra involuerentur erroribus parentum: Ita eſt in Canone. Sed de Chriſtianis diffidere inter Chriſtianos: quod novum eſſet Evangelium? Quæ convenientia, ut, juxta traditiones

nes Ecclesiæ, Presbyteri nequeant benedicere nubentes, nisi oblatos a parentibus: nequeat Episcopatus ordinare extraneum, nisi Diœcesano permittente: nequeat suscipi peregrinus, sine formatis (ut appellant) sine litteris Dimissoriis, aut Commendatitiis: possint vero admitti vota filiorum, filiarumve sine traditione, commendatione, arbitrioque domestico? Sed ut tandem nostra concludatur oratio: sic contra ea omnia quæ dicta sunt, patriam potestatem flocci facito ut velis, sive ut potius tibi præcipiunt ii apud quos tam beate & Deifice habitas: nihilominus apud liberos bene natos, & vere legitimos, adhuc eam sustinent sustentant quatuor columnæ. Prima est indignatio Dei viventis, qui injuriam patris reputat suam, *Quam malæ famæ est* (inquit Ecclesiastes) *qui derelinquit patrem & a Deo maledictus, qui matrem exasperat.* Secunda: Relegatio filii, cui pater ob inobedientiam sic pronunciat: *Discede à me, atque ab aspectu abstine meo.* Nam et si (ut apparet) nihil habes antiquius: certissimum est tamen, nullum Dei supplicium majus esse adversus homines patris in liberos: in subditos Principis, quam cum ab iis aspici nolunt, quibus nihil ore, aspectuque suo debuerat esse jucundius. De Deo: nonne ita est, ipsam æternam damnationem in privatione illa consistere: ut contra Dei visio, est tota merces? De hominibus: Davidem eo genere animadvertisse in Absalonem? hinc ille post biennium: *Si pater* (inquit) *memor est adhuc iniqui-*

tatis

tatis meæ, ô Ioab, mortem magis impetrato Quid? nonne Manlii Torquati sententia hujusmodi fuit adversum Junium Syllanum, quem Macedones accusabant de repetundis: *Quia non Talis fuisti in imperio, quales majores tui extiterunt: te in conspectum meum venire veto:* Non potuit ferre hoc judicium, manus attulit sibi. Est etiam de Marco Scauro, qui filio è pugna turpiter redeunti, misit qui diceret, *Reus fugæ coram ne accedito.* Hoc nuntio, filium gladio in se, quam in hostes, fortius usum. Sed & Augustus cum Tarrio adversus filium domi assideret, ob id ipsum pronunciavit, *Acerbissime puniri qui à paternis oculis submovetur.* Hujus pœnæ elegantissima est ratio apud Platonem: Nam si (inquit) liberis nullum pulchrius simulacrum est Deorum: nullus domi pretiosior thesaurus quam decrepiti parentes: quæ durior pœna iis imponi possit, quam privari aspectu tam familiarium Deorum, ne eos liceat tangere, liceat osculari? Si exilium propterea intolerabile est, quia hoc præstat ut careamus aspectu ædium quarundam, locorum, lapidumve, quos monumenta appellamus: quid, carere iis hominibus qui nobis ea ipsa construxerunt? imo qui nos ipsos? & qui nihil sibi voluere suppetere, quam ut liberis relinqueretur? Quod ad Principem attinet: in promptu est exemplum ejusdem Augusti, qui, ut mulctaret Athenienses, maluit divertere in Æginum insulam, quam videri Athenis. Exemplum Marci Antonini Philosophi, qui obeundo

An-

Antiochiam, accitus noluit ingredi, quod Avidio consensissent. In promptu, Caroli VIII. Principis nostri, qui reportato exercitu ab expeditione Neapolitana, & ad D. Dionysium gratias agens, voluit videri Lutetiæ, quod proficiscenti non suppeditaverant nimium. Tertia animadversio quam parentes perpetuo habuerunt, & quam perpetuo sunt habituri: (inquit Ambrosius, lib. singulari, de benedictionibus Patriarcharum) Benedictio est, quâ afficiunt gratos & obedientes: Maledictio, quâ ingratos & contumaces. Benedictio, merces obedientiæ est, inquit Elias Cretensis. Ideoque Gregorius ille qui jam patri audiens esset, non postulat sibi *dari* benedictionem, sed ***reddi.*** Esto: tanti eam ne æstimes, quam Jacob, aut Josephus, aut Nazianzenus ille: attamen pertimesce maledictionem. Memento filiorum Noë: Recole quod est in Deuteronomio, secundo loco imprecationum: ***Maledictus qui non honorat patrem suum, & matrem suam. Et dicet omnis populus, Amen.*** Quod cap. III. Ecclesiastici: ***Benedictio patris firmat domos filiorum: maledictio autem matris, eradicat fundamenta.*** Quæ omnia sunt apud Monachum ipsum Antiochum, homiliâ 108. Vide quod est apud Homerum, odysseâ 2. ubi Telemachus reformidat matrem eijcere è domo Ulyssis, ne in ejus maledictionem incidat. Quod apud Platonem, lib. 11. de legib. Imprecationes Oedipi, Amyntoris, Theseique aduersus liberos, à Dijs susceptas auditasque esse. *Nibil* (in-

quit)

quit) *Filio tam exitiosum, quam paternæ diræ.* Quod denique apud Suidam, de Leontio, Tripolitano Episcopo, cuius precibus annuit Deus: Filius obiret magis, quam ut oculis cerneret eum vitam viuere impiam atque inhonestam. Postremum remedium parentum: auxilium est judicis, qui ad solam eorum postulationem, aut pœnâ, aut carcere in liberos utitur, quique eam sententiam dicit in contumacem, quam expostulant parentes (ita enim ab Alexandro rescriptum est) in petulantem (utcunque leue crimen esset in extraneo) dura & aspera omnia. Cur ita? ut liberis nihil sanctius, nihil inviolabilius sit parente. Est in nostris annalibus, tempore Ludouici, Stephanum Bolœum, Præfectum Parisiensem, suffixisse quendam, quod mater aduersus eum dixisset, *Nullâ cura posse efficere ne perpetuo fur sit.* Denique id nobis dici potest quod est apud Hieronymum, lib. de honorandis parentibus: *Servite Patribus futuri patres & matres vestras, tenerâ* (inquit) *diligite pietate, ut & vestræ conjuges mereantur matrum nomine appellari.* Superest igitur, si vis evitare has poenas, quæ omni jure filio imminent contumaci: sique hæc disputatio eam vim habet ut tu ad teipsum redeas: si aliquod bonum insitum est tibi: sitque propterea in animo meditatio officii: hoc agas in continenti, fac parabola Christi vera sit in nobis, *Epulari & gaudere oporteat, quia filius meus mortuus fuerat, & revixit: perierat, & inventus est.* Quod Ecclesia ambabus manibus pœnitenti perpetuo est obvia,

pa-

parentum imitatione facit. Antequam clames, ego exaudiam. *Veni itaque & pax erit: revertere, & satisfactum est*: (Nam placet te ita alloqui, ut nepotem Bernardus ille) *Contra iuris ordinem revoco læsus, qui me læsit: spretus, requiro contemptorem: injuriam passus, injurioso satisfacio: rogo e:im denique à quo debueram rogari.* Ut Cæsarius, Homiliâ 30. *Orat judex, et desiderat parcere.* Sin tibi iterum obtunditur, quod ubi attigeris 25. annum, tum tibi omnia erunt in potestate: neque habebis amplius quo ex contumacia metuas fraudem: propterea quod te illa ætas quasi emancipaverit, reddideritque tanquam patremfamilias: *Dico, edico tibi*: Licet pietas non finiatur pubertate, neque majoribus annis: imo crescat eo tanto: unde & Plato sevērius in eum animadvertit, qui 30 annorum, quam qui minor, patri inobediens est: (edico inquam) quod si mansisses apud me usque ad legitimam ætatem: possem eo tempore tibi aliquid indulsisse, vitam eam eligenti in qua habilitatem nactus esses. Sed quemadmodum virgo quæ rapta est immatura, quamdiu apud raptorem est, ætatem non attingit: matrimonium nunquam confirmatur, ut decretum est in ipsa Tridentina Synodo: sic, quos annos fueris ibi assecutus, ubi me invito te custodiunt: ne ita eos tibi prodesse putes, quin quicquid postea usurpaveris perpetuo irritum, prophanum, illegitimumque sit. Cur ita? quia Jesuitæ te semel seduxerunt, & es semper apud eos mala fide, malo more: & cum jactura atque detrimento

to alieno te contrectant. Non posse excipi, ibi quid fieri à Spiritu Sancto, ubi ita agendo contrahitur maleficium. Quemadmodum res furtiva quousque redierit in domini potestatem, perpetuo vitiosa est: sic qualiscumque succreueris, in æternum erit in te & plagium, & latrocinium, nisi te arbitrio subijciant meo. Estne qui tibi contrarium prædicet? dic illi ex Platone: Mente, & ingenio opus habes.

Τονέων γὰρ ἀμελεῖν, οὔτε ἄνθρωπος νοῦν ἔχων, ξύμβυλός πότε γένοιτ' ἂν ὀυ δεὶς ἐνδενὶ.

FU-



FUGITIVUM
PETRI ÆRODII

Quæſitoris Andivi V. C. filium
ſic affatur

GILBERTUS BANCHERELLUS.

QUærit quæſitor gnatum, indulgetque dolori:
Aerodius prolis maxima cura ſuæ:
Imas aſſiduo corroditur ille medullas,
Tundit & in viduâ pectora mæſta domo.
Quis pater ad diros fugitivum gaudet Iberos
Natum, olim in valido fulcra futura ſeni?
Impie, vah! patrium puer indignate dolorem:

Dure

Dure puer flocci iura paterna facis?
Iura quidem Hyblæo fartim condita lepore,
Quæ colat hyrcanum vel fera pasta nemus.
Tu tamen obtusa crudelis respuis aure,
Nec vis divinâ (perdite) lege regi.
Indigne Ærodii præclari nominis hæres,
A patriis laribus quid male gnate fugis?
Ni redeas ædes tandem mansuete paternas,
Desine tam docti, filius esse patris.

FINIS.